RESPONSIO
AD PRAECIPVA CAPITA APOLOGIAE.

QVAE FALSO CATHOLICA inſcribitur, pro ſucceſsione Henrici Nauarreni, in Francorum Regnum.

Auctore FRANCISCO ROMVLO.





ni, Apud Petrum de Farris. M. D. XCI.

De Conſenſu Superiorum.

RESPONSIO AD PRAECIPVA CAPITA APOlogiæ, quæ falso Catholica inscribitur, pro successione Henrici Nauarreni, &c.

PRAEFATIO.



PRODIIT nuper cum aliis nonnullis hæreticis libellis, Apologia quædam edita *Pa*risiis per E. D.L.I. C. (sic.n. auctor nomen suum obscure significauit) quæ ut facilius fallat incautos, *Catholi*ca inscribitur. Eius Apologiæ quattuor sunt partes, Prima cõsumitur tota in describenda genealogia domus Barboniæ. Altera duas obiectiones diluit, quę aduersus Henricum Nauarrenum quõdam regem, factæ fuerãt quod is videlicet & spurius & Hęreticus sit. Tertia diluit obiectionem tertiam, quod idẽ ipse læsæ maiestatis sit reus. Quarta denique disputationem illam complectitur, sitne patruus filio fratris anteponendus in iure successionis, an contra. Ex quibus ea solum mihi tractanda esse hoc tempore existimaui, quæ ad religionem catholicam, quam auctor Apologiæ simulatione catholicismi per summam fraudem euertere nititur; & ad bullam sanctissimi pontifici Sixti quinti in Henricum Nauarrenum pro-

 xime

xime editam, quam iste pseudocatholicus tecte oppugnat, pertinere uidebuntut. Quare nihil hoc loco dicā de genealogia domus Borboniæ, nihil de coniugio parentum eiusdem Henrici, nihil de crimine rebellionis, aliisq. id genus, quæ eidem obiiciuntur. Controuersiam uero illā de iure successionis inter filium fratris & ipsius patruum ne attingam quidem. Neq. enim summus Ecclesiæ catholicæ pastor Henricū Nauarrenum spurium aut patruo posteriorē in successionis iure; sed hæreticum manifestum atq. in hęresim relapsum declarauit, eūq; hoc titulo, quicquid tandem sit de aliis, successionis iure priuauit, & incapacem coronæ regum Christianissimorum esse declarauit: Neq. uidetur operæpretium de aliis capitibus laboriose differere, cū ex hoc vno crimine hęreseos Nauarrenus ab ea spe successionis apertissime deiiciatur; ob quam sustentandam apologia tota instituta est. Porro Apologiæ auctor, ut argumentum ab hæresi ductū refellat, tria quædam demonstranda suscepit. Primum, non posse ob hæresim principes imperio aut iure ad imperium priuari: deinde Hugonottos, ad quorum sectam Nauarrenum regem pertinere, negare non potuit, hæreticos non esse, aut certe nondum esse in legitimo concilio ab Ecclesia pro hæreticis condemnatos: deniq; nihil esse, cur catholici metuant religioni ac fidei suæ, si Nauarrenum, quamuis hæreticū, regē accipiant: illum enim sine dubio permissurū, ut unusquisq.

liber-

libertate conſcientiæ in religione fruatur. Ac ut optima fide cauſſam iſtam agere, & non affectu partium, ſed ſola ueritate impulſus ad hãc Apologiam ſcribendam, iudicetur, paſsim toto libro inculcat, ac repetit ſe catholicum. Nos igitur ut eius ueſtigiis inſiſtamus, demonſtrabimus primum auctorem Apologię falſo ſibi catholici nomen aſſumere, cum aut hæreticus, aut fortaſſe etiam atheus ſit: deinde ſectam Hugonottorũ, cuius ſe profeſſorem & uerbis, & re ipſa palam aſſerit Nauarrenus, omnino hęreticam eſſe, & iam dudum à catholica Eccleſia non ſemel in legitimis & plenariis conciliis condemnatam: tertio hæreticos iure poſſe uel à regno atque imperio deiici, uel ſucceſsione regni, ſiue imperii cuiuſcunq, ſuper catholicos populos ab Apoſtolica ſede priuari. Addemus poſtremo etiam cauſas, cur ii non imprudentes modo habendi ſint, ſed etiã catholicæ fidei parum ſtudioſi, ne dicam proditores, qui, ſi ualeant id prohibere, hæreticum hominem ab Eccleſia iudicatum & damnatum, ad regnum conſcendere patiantur.

PARS PRIMA.

CAP. I.

VT igitur ab eo, quod primo loco poſuimus, ordiamur, & fraudem pſeudocatholici huius detegamus: ſic ille apologiam inſcribit. Apologia catholica, &c. & mox præfationem his uerbis auſpicatur, Nullum tem- »
pus unquam extitit Chriſtiane France atque „

catholice. Ac ne putemus catholici nomen aliter ab eo accipi, quam nunc ab iis accipiatur, qui catholicam Ecclesiam à Luteranorum & Caluinistarum seu Hugonotiorum conuenticulis distingũt, idem ipse paulo infra in eadem præfatione ita se
" aperit. Neque vero huic rei studeo, vt eam, quam
" profitetur Nauarrenus, religionem promoueam,
" vt qui sim, semperque fuerim catholicus, & sub au
" ctoritate Ecclesiæ catholicæ Romanæ uixerim.
" hæc ille. in quibus verbis non solum ad v. ...em,
" catholicæ Ecclesiæ, addit, Romanæ, sed etiam satis aperte catholicam Romanam Ecclesiam, cuius se filium profitetur, ei sectæ opponit, quam Nauarrenus tuetur. Quare dum se catholicę Romanęque fidei, atque Ecclesiæ esse confirmat, non loquitur, vt aliquando solent Caluinistæ, de catholica Ecclesia, quæ olim Romæ erat, aut quæ hoc etiã tempore ibi sit apud occultos Caluinistas, sed plane de ea, quæ publice nunc Romæ viget & floret, quæque cum omnibus hæreticis, atque in primis cum Hugonottis bellum gerit. Idem confirmant illa verba in secunda parte Apo-
" logiæ num. 4. pag. 51. sancta decreta Ecclesiæ
" catholicæ his decisionibus plena sunt, &c. enumerat autem decreta Euaristi, Marcelli, Ninolai i. Alexandri iii. & Innocentii iii. pontificum Romanorum, ex quo intelligimus auctorem Apologiæ agnoscere pro sancta Ecclesia catholica Romana, non eam solum quę fuit primis quingentis aut sexcentis annis,

quam

quam etiam agnoſcunt Hugonotti, ſed etiam eam, quæ fuit poſt annum domini 1200. quam Eccleſiæ catholicæ nomine non ſolum non dignantur Caluiniſtæ ac Lutherani, ſed eam perpetuo ut regnum Antichriſti lacerant. Illuc etiã illa ſpectant, quæ habentur pagina 72. An non „ ſatisfecit uobis ſumma diligentia ſtudiumq, no „ ſtrorum Chriſtianiſsimorum & catholicorum „ regum in adunando populo ſuo, & ad unam ſo- „ lam religionem Apoſtolicam Romanam addu „ cendo? quid nobis profuerunt tot ignes? cædes? „ prælia? Hæc ille: Vbi ſane nõ uidetur potuiſſe apertius ſignificare eam eccleſiam, quæ nunc ab Hugonottis hæreticis exercetur, ſolam eſſe uerã atq; Apoſtolicam catholicamq; Eccleſiam. Iſta enim Eccleſia eſt, cuius ſe filios ſemper profeſsi ſunt Chriſtianiſsimi potentiſsimiq; Francorum reges, & in cuius gratiam in Hugonottos hæreticos flammis & gladio pie ſæuierũt. Deniq; pag. 3. de cęrimoniis eccleſiaſticis diſputans huius apologiæ auctor ita loquitur. Atque hoc non eo „ dico, ut inſtitutionem cærimoniarum Eccleſiæ „ noſtrę criminer, quas in cultu Dei ordinarie ſer- „ uo. Illam igitur Eccleſiam, auctor iſte, ſuam eccleſiam uocat, in qua ſeruantur cærimoniæ, quas Hugonotti ſublatas uellent, & re ipſa in ſuis conuenticulis ſuſtulerunt. Atque hactenus demonſtraui apologiæ auctorem ſe catholicæ religionis, quæ nunc Romæ palam cuſtoditur, & colitur, ſectatorem peritiſsime profiteri.

NVNC ex eiusdem verbis ostendam illum nihil minus esse quam quod se esse mẽtitur ac fingit. Ac primum in secunda parte apologiæ pag. 71. de Tridentino concilio ita loquitur ad episcopos, & presbyteros Ecclesiæ catholicæ. Professo vestrum illud cõcilium Tridentinum, quod obtenditis, & ex quo condemnatis eos, non est legitimum. Potuitne clarius homo iste significare ab ea se religione alienissimum esse, cuius paulo ante sectatorẽ & cultorem prædicabat? Siquidem Ecclesia catholica Romana plane tota siue caput, siue membra, siue clerum, siue populum, siue principes, siue priuatos consideres, tota, inquam, Tridentinæ synodi, vt legitimæ & œcumenicæ synodi fidem ac dogmata veneratur. Summus ipse pontifex *Pius* quartus nonne concilium illud totum per publicas litteras, quæ adhuc extant, approbauit, atque ab omnibus Christianis recipi & obseruari iussit? Episcopi omnes catholici nonne professionem fidei ab eodem Pio 4. pontif. editam faciunt, ac iuxta eam concilii Tridentini de religione decreta prædicaturos se, ac defensuros vsque ad mortẽ iurant? nonne id ipsum præstant quotquot in Ecclesia catholica vel ecclesiis, vel gymnasiis pręsunt? Legati principum Christianorum Ferdinandi Cæsaris, Caroli Francorum, Philippi Hispaniarum, Sebastiani Lusitaniæ, & Sigismundi Poloniæ regum, & prætera Rerumpublicarum, ac regu-

lorum

lorum plurimorum, nonne in postrema sessione concilii, cum omnia decreta recenserentur principes suos repræsentarũt, & eorum omnium nomine decreta eadem receperunt; qualis igitur catholicus est qui concilium illud audacter repudiat, quod omnes Ecclesiæ catholicæ principes tum ecclesiastici, tum sæculares, & omnes eorũ populi, atque adeo orbis christianus vniuersus amplectitur? Ariana quõdam grassante perfidia, perinde erat apud Cristiãos catholicũ nominari, & Nicæni concilii assertorẽ dici, ac postea Eutychianistis Ecclesiam diuexantibus ii soli catholici habebantur, qui Chalcedonensis cõcilii decreta seruabant: hinc B. Ambrosius in epist. 32. ad Valẽtinianum iuniorẽ scribens, Sequor (inquit) tractatũ Nicæni concilii, à quo me nec mors, nec gladius poterit separare. Et S. Basilius in epist. 78. in qua fidem suã exponit, nõ alio symbolo hæreticos à catholicis discerni iubet quã approbatione vel improbatione synodi Nicænæ. Sanctissimus quoq; pontifex Leo, vt alios interim partes omittam, in epist. 78. ad Leonem imperatorem. Non sunt (inquit) omnino inter catholicos computandi, qui definitiones venerabilis synodi Nicænæ, vel sancti Chalcedonensis concilii regulas non sequuntur. Quod sane idem nobis de Tridentino concilio hoc tempore dicere licet. Neque enim alia nota clarior, nec vllum certius symbolum hæreticos à catholicis nunc distinguit, quam Tridentini

con-

concilii approbatio atque defensio.

CAP. III.

SED ad alia ueniamus, ex quibus perspicue cognoscatur quanto mendacio Apologię auctor
" se catholicum nominauerit. Pag. 77. Etenim, in-
" quit, optimum consilium, quod sapientes uiri in
" hac caussa dederunt, hoc foret, si pro certo habe
" remus religionem istam, quæ reformationem
" prætendit, siquidem non est à Deo & instituto
" doctrinæ ipsius, sine bello perituram esse, atque
" in fumum abituram, ut tot hæresibus, quæ nos
" præcesserunt accidit: sin autem est ex cōsilio Spi
" ritus sancti frustra reclamamus. hic enim suum opus perfecturus est. Egregium sane catholicū, qui nondum apud se certo constituit, utrū sectę, quæ tanto furore in Ecclesiam catholicā debacchantur, à Spiritu sancto sint, an non. Io. Caluinus, quem Hugonotti ducem atq; antesignanum sequuntur, in 4. lib. Institutionis, c. 2. paragr. 2. de Romana Ecclesia, cuius se membrum haberi cu
" pit apologiæ auctor, ita loquitur. Certum est non
" esse ecclesiam, ubi regnum occupauit mendaciū
" & falsitas. In eum modum cum res se habeat sub
" papismo, intelligere licet, quid Ecclesiæ illic su-
" persit. In locum cœnę domini fędissimum sacri
" legium subiit; publici conuentus idolatriæ & im
" pietatis scholę. Hęc ille. Qualia passim & scribūt in libris, & effutiunt in concionibus Hugonotti. Quis igitur credat, eum catholicum esse, qui adhuc ambigat, an à Spiritu sancto sint eoru se-

ctæ

ctæ,qui tam horribiles blaſphemias in catholicam Eccleſiam euomunt,ut eam non modo ueram Eccleſiam eſſe negent,ſed etiam idololatriæ & impietatis ſcholam appellare non uereantur? Ad hæc qui nondum certo ſtatuit,ſectam Caluini à Deo nō eſſe:is adhuc dubitet,necesſe eſt an Eccleſia illa ſit à Deo , & proinde an ſit Eccleſia Dei,quæ Caluinum hæreticum iudicauit. qui autem eiuſmodi eſt,quomodo catholicus dici poteſt,cum nondum teneat, quæ catholica ſit Eccleſia? CAP. IIII.

SED longius adhuc progreditur inſignis iſte catholicus. Siquidem pag. 109.unam eſſe dicit fidem,unam religionem Catholicorum,& Caluiniſtarum;& ex eo principio poſtea colligit pag. 124.Henricum Nauarrenum hæreticum non eſſe,licet publice profeſſus ſit,ſe in ſecta Caluini ad mortem uſque perſeueraturum.& pag 186. addit, eundem Nauarrenum catholicum eſſe ac pium. Tam catholicus(inquit)eſt princeps, tam „ pius & timens Dei,vt numquam recuſaturus ſit, „ &c. Hic primū quæro,quo pacto iſta cohæreant „ cum iis quæ ſupra ex eodem auctore citauimus. Nam in præfatione uerba illa habentur.Neq; ue „ ro huic rei ſtudeo,ut eam quam profitetur uide- „ licet Nauarrenus, religionem promouea , ut qui „ ſim ſemperque fuerim catholicus . Si Nauarre- „ ni religionem promouere nō cupis,quia catholicus es , non igitur illa eius religio una eſt cum tua, neque catholica dici poteſt. Alioqui enim

quia

quia catholicus es, eam posses ac deberes maxime promouere. Quod si Nauarreni religioneq. catholica, neque vna, & eadem cun catholica dicenda est, quid est quod nunc tandem superiorum verborum tuorum oblitus dicis, vnam esse nostram & Caluinistarum religionem,& Nauarrenum Caluinistã,catholicum ac piũ esse? Deinde si vna est nostra & Hugonottorũ religio ac fi-
« des,& illi nõ minus quam nos catholici dicũtur
« & sunt: quid pag. 72. dicebas,Frãcorum reges
« christianissimos & catholicos summo studio
« operam dedisse, flammis etiam & gladio,vt po-
« pulum suum adunarent,& ad vnam solam Apostolicam religiõem adducerent? quid erat opus tanta cõtentione, si vna est omniũ religio? nondũ intelligis, quam aperte in tota Apologia tecũ ipse pugnes,& dum hæreticos cũ catholicis iungis, & vnã religionem ex maxime repugnãtibus facis,te ipsum prodere, nullius esse ecclesiæ, nullius religionis? At inquies vna fides ac religio est Catholicorum & Hugonottorum, si dogmata spectentur, & substantiales articuli nostræ religionis: non tamen est vna si de cerimoniis agatur, quę extra scripturam posterioribus temporibus in ecclesiam sunt inuectæ. Id enim scribis pag. 109. vbi controuersiam inter nos & Hugonottos, in eo solum positam esse dicis, vtrum cærimoniæ externæ retinendæ sint, quę prima ætate Ecclesiæ non erant in vsu, sed à pontificibus extra scripturam diuersis temporibus

ribus sunt institutæ. Cæterum de hac re in sequē ti capite plenius differemus; nunc illud tantū urgeo. Si de cærimoniis solum posteriori tempore excogitatis quæstio est; igitur fides catholica & apostolica religio omnino est apud Catholicos & Hugonottos. Non enim fides catholica à cærimoniis humanis, sed ab articulis substantialibus, qui uerbo Dei nituntur, nominatur; & apostolica religio ea dicitur, quam apostoli tradiderunt, quæque prima etiam Ecclesiæ ætate florebat. Quæ cum ita sint, redeunt argumenta paulo ante facta: nimirum si una est fides catholica, si una religio apostolica, Hugonottorū, & nostra, cur non audes Hugonottorum sectam promouere, ut in præfatione affirmas, quia catholicus es? & cur Francorum Christianissimi, & catholici reges tanto labore, ferro, & ignibus, bellis, ac cædibus, ut dicis, contenderunt, ut ad unam solam apostolicam religionem populos suos adigerēt? Ex his igitur quæ hucusque dicta sunt à nobis, facile perspici potest, auctorem apologiæ non uere esse catholicum, sed hoc specioso nomine abuti uoluisse, ut simplicioribus hominibus facilius imponeret atque illuderet.

PARS SECVNDA.

CAP. V.

SED ut iam ad caussam propius accedamus; conatur apologiæ auctor demonstrare, Nauarrenum, quem Hugonottum esse non

negat,

negat, hæreticum non esse. Id vero duobus potissimum argumentis efficit. Primum quia discordia inter catholicos & Hugonottos non est de sũma fidei, sed de externis tantum cærimoniis, sine quibus Christiani primæ ætatis vixerunt ac *Deum* coluerunt. Deinde quia secta Hugonottorum nõ dum est in legitimo aliquo conuentu Ecclesiæ cõdemnata. Nam Tridentinum concilium nõ esse legitimum, neque à regibus Franciæ vnquam admissum. Hæc sunt omnia, quæ auctor iste profert ad Nauarrenum à grauissimo hæreseos crimine liberandum. In quibus quattuor sunt euidenter falsa; primum, controuersiam inter nos & Hugonottos non esse nisi de cæremoniis humanis atque externis: secundum, cæremonias, quas Hugonotti sublatas cupiunt, nõ fuisse apud Christianos primæ ætatis: tertium, sectam Hugonottorum nullo legitimo Ecclesiæ iudicio adhuc damnatam: quartam, concilium Tridentinum non esse legitimum, neque à Francorum regibus admissum. Quæ omnia si certissimis rationibus falsa esse demonstrauero, simul illud efficiam, Nauarrenum, quod Hugonottus sit, non posse à crimine hæreseos vlla ratione defendi.

CAP. VI.

IGITVR controuersiam inter catholicos, & Hugonottos non de solis cærimoniis externis, sed de summis etiam fidei nostræ capitibus esse, probatione non eget: id enim in primis vtraque pars, idest tum catholica ipsa Ec-
clesia,

clesia, tum sectarii atque aduersarii nostri affirmant. Catholica siquidem Ecclesia & in synodo Tridentina plerasq. sententias Lutheranorum & Caluinistarum hæreses perniciosissimas esse iudicauit, & Romæ quotannis feria quinta in cęna Domini publico iudicio sectarios omnes anathemate ferit; & lectionem librorum ipsorũ fidelibus populis, seuera pœna proposita interdicit; ac demum in omnes sectarios atq. in Hugonottos potissimum, vt in manifestos ac truculentos lupos inquiri iubet. Quæ omnia satis aperte declarant, quid catholica nostra Ecclesia de pręsentiũ cõtrouersiarũ magnitudine & grauitate sentiat. Quid vero sentiant Caluinistæ, ex verbis Caluini paulo ante citatis intelligi potuit; sed non grauabor alium adhuc locum adscribere, vt impostoris huius apologetici uanitas magis appareat. Sic igitur Io. Caluinus initio libri de necessitate reformandæ ecclesiæ loquitur de iis, quæ in catholica nostra Ecclesia ipse non probat, & ad quæ summam controuersiam præsentium reuocari posse censet. Dicimus (inquit) ea doctrinæ capita, quibus religionis nostræ veritas, quibus purus & legitimus Dei cultus, quibus salus hominum continetur, fuisse propemodum abolita: dicimus sacramentorum vsum multis modis fuisse vitiatum & pollutum: dicimus Ecclesiæ gubernationem in speciem fœdæ, & non ferendæ tyrannidis fuisse conuersam, hæc illo. Sentisne, homo vanissime, ipsorum litigantium

gantium testimonio non de solis externis atque humanis cærimoniis, sed de doctrinæ ueritate, de cultu Dei, de sacramentis cęlestibus, de totius Ecclesiæ gubernatione controuersiam esse? An non igitur incredibilis plane atq. intoleranda tua audacia est, qui cum iureconsultum profitearis, & uere rerum theologicarum omnino rudis & imperitus sis; audeas tamen controuersias fidęi uno uerbo conciliare, & iudicium tuum nullis scripturæ testimoniis, nulla conciliorum, uel patrum auctoritate, nulla ratione munitum antepo nere iudicio theologorum omnium, non catho licorum modo, sed etiam protestantium? sed ueniamus ad ipsos quæstionũ articulos, & doctrinam Ecclesiæ, quę in Tridentino concilio potissimum eminet, cum antidoto Caluini ad idem conciliũ cõferamus, ut apologeticus nostęr si for te sit cæcus, uel ipsis manib. palpare queat, nõ de solis cærimoniis externis catholicos cum sectariis disceptare. Quarta sessione concilii de cano nicarum scripturarum numero id ipsum statuitur, quod ante annos 1100. in concilio Carthagi nensi tertio fuerat constitutum. Resistit Caluinus in antidoto, & libros Tobiæ, Iudith, Ecclesiasticum, Sapientiam, & *Machabæos*, ut apocryphos reiicit. Estne hoc de cærimoniis externis, an potius de fundamento fidei dissentire? Quinta sessione de peccato originis id ipsum concilium docet, quod ante 1100. annos concilia Mileuitanum, & Aransicanum docuerant peccatum

originis,

originis,quod carnali generatione contrahitur, spirituali per baptismũ regeneratione ita deleri, ut nihil in baptizatis maneat,quod culpæ rationem habeat. Resistit Caluinus in antidoto,& peccatum originis ita hærere in hominibus asse rit,ut neque baptismo, neque alio vllo remedio ad mortem usque tolli possit.Ex quo principio colligunt omnes huius temporis sectarii, nulla esse hominũ merita, nulla opera vere iusta,legẽ Dei esse impossibilem, & alia id genus multa, quæ satis ostendunt,non de solis cærimoniis ex ternis,sed de præcipuis fidei nostræ articulis con trouersiam esse. Sexta sessione de iustificatione impii,ea traduntur, quæ in scripturis,& patribus apertissime,& magna ex parte in Arausicano cõ cilio continentur; liberum arbitrium non extin ctum,sed debilitatum; non sola fide homines iu stificari;sine baptismo in re aut in voto nulli cõ tingere iustificationem; iustificari homines per inhærentem gratiã, non per imputationẽ; posse iustificatum legem Dei ita implere, ut uitam æternam uere & proprie per eã obedientiam mereatur; deniq; posse gratiã per peccatum amitti non amissa fide. Resistit Caluinus in antidoto ac liberum arbitrium plane docet extinctum;so la fide iustificari homines; sine baptismo Christianorum filios non modo iustos censeri,sed & in regnum cælorum intrare posse,etiam si do minus dixerit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. sola imputatione obedientiæ Chisti iu-

ftos fieri, quicunq; apud Deum iuftificantur, legem diuinam fupra vires omnium hominũ, etiam iuftificatorum, effe: nulla effe veri nominis merita, cum omnia noftra opera fint peccata: fidem indiuiduam effe bonæ confcientiæ comitẽ, proinde nõ poffe fidẽ adeffe vbi mala cõfciẽtia fit. Quid hic aduerfarius pfeudocatholicus dicet? Suntne quęſtiones iftę de cęrimõiis an de iuftitia fidei? de reb. adiaphoris, an de ipfa æterna falute? Septima feffione de facramẽtis agitur, atq. ea feptem effe numero; à facramentis legis veteris non folo ritu externo differre; neque ad folam fidem nutriendam inftituta; fed gratiã Dei ex opere operato cõferre; baptifmũ Ioannis nõ eam vim habere, quã Chrifti baptifmus habet. atque alia nõnulla certa fide tenẽda effe traditur. Renititur Caluinus in Antidoto; & feptem effe infitiatur facramẽta nouæ legis, neque plura duobus aut tribus (neque enim fibi fatis cõftat, vt colligitur ex lib. 4. Infti. c. 14. paragrapho 20. & ca. 18. paragrapho 20.) agnofcit, ea vero neque vi & efficacia à facramẽtis veteribus diftingui, neque ex opere operato gratiam cõferre, neque aliquid maius efficere quam fidem alere; neque baptifmũ Chrifti à Ioannis baptifmo diuerfum effe cõtendit. Quæ fane controuerfiæ nõ de humanis cærimoniis, fed de diuinis facramẽtis, neque de ritibus folum ecclefiafticis, fed de præcipuis noftræ falutis adiumentis funt. Atque hucufque antidotus Caluinianus extenditur.

ditur. Quod si cætera, quæ in eodem concilio ex plicata sunt de veritate corporis Domini in Eucharistia, de sacrificio missæ, de sacramẽto penitentiæ, de Purgatorio, de inuocatione sanctorũ, deque aliis permultis grauissimis fidei nostræ dogmatibus cum iis erroribus, qui de rebus iisdem in institutione, aliisque Caluini commentariis extant, conferre velimus, quis tandẽ erit finis? Habemus igitur apertissime esse falsum quod scribit auctor Apologiæ pag. 109. vnã esse fidem catholicorum & Hugonottorum, atque id restare solum, vt constituatur & conueniat de institutione externarum cærimoniarum.

CAP. VII.

VENIO ad secundum, & quamquam ad rem nostram non multum pertineat, verũ cærimoniæ ecclesiasticæ in prima Ecclesiæ ætate fuerint in vsu, an posterioribus temporibus sint excogitatæ: quia tamen Apologiæ auctor audacter affirmat pag. 109. inter nos conuenire, prima » illa ætate Christianos sine his cerimoniis exter- » nis vixisse, ac Deum rite coluisse, quas nunc Hu- » gonotti sublatas cupiũt; quod sane falsissimũ est; » ostendam paucis plerasque cærimonias ex earũ numero, quas Hugonotti reiiciũt, antiquissimas esse, & nõ aliunde, quam ex Apostolica traditione, descendere. Magnus Basilius in lib. de Spiritu sancto ad Amphilochium cap. 27. enumerans ea, quæ ab Apostolis tradita vniuersa seruat Ecclesia, primo loco ponit cærimoniam signan-

di homines signo crucis,quam cærimoniam nõ minus quam ipse Satanas Hugonotti fugiunt. 2.orationem ad Oriẽtem. 3, uerba inuocationis cum ostenditur Eucharistia. 4. benedictionem aquæ baptismalis. 5.consecrationem olei. 6. unctionem eorum, qui baptisma susceperunt. 7. cæteras baptismi cærimonias. Sãctus Hieronymus in epist. ad Marcellam de erroribus Montani, quadragesimale ieiunium ab Apostolis traditũ disertis uerbis affirmat. S. Ioan. Chrysost. hom. 67. ad populum Antiochenum, & hom. 3. in epist. ad Philipp. ad Apostolorum traditionem constanter reuocat usum sacrificia pro mortuis offerendi. Origenes in cap. 6. epist. ad Rom. Ecclesia, inquit, ab Apostolis traditionem accepit, etiam paruulis baptismum dare. Iustinus marty. in 2. Apologia extrema, inter alios ritus, quos ab Apostolis traditos recenset, ponit admistionem aquæ & uini in sacramento altaris. Epiphanius in lib. de heresib. extremo, compendio tradit ea quæ ab antiquissimis temporibus Ecclesia catholica obseruauit, & nunc etiam diligenter obseruat, atque in iis numerat perpetuum cęlibatum, uitam solitariam, uarios ordines monachorum, quadragesimę ieiunium, ciborum delectum, sacrificia pro defunctis, festos dies, & alia id genus plurima. Sed non est opus in hac re diutius immorari, cum nec aduersarius quicquam pro sua opinione protulerit, & pleni sint libri patrum eiusmodi testimoniis.

CAP.

IAM uero sectam Hugonottorum nõ semel publico & legitimo ecclesiæ iudicio condemnatam esse, quod erat tertium ex iis, quæ probãda suscepimus, facili negotio demonstrabimus. Cõtrouersia principalis ob quam nõ solum Catholicis, sed etiam Lutheranis Hugonotti sunt hęretici, in sacramento cęnæ domini sita est. Porrò controuersia hæc non in solo Tridentino concilio, ut aduersarius fingit, sed in decem antiquiorib. catholicæ ecclesiæ synodis partim nationalibus, partim etiam generalib. discussa, diiudicata, & terminata est: ut etiam si Tridentinum concilium factum non esset, nemo tamẽ negare posset, Hugonottorum hæresim in legitimo concilio ecclesiæ Romanæ, quam aduersarius ueram ecclesiam esse non negat, esse damnatam. *Primũ* concilium Romanum fuit sub *Leone* IX. pontifice, omnium consensu, optimo & sanctissimo; in eo enim dãnatam Berẽgarii hæresim de cęna Domini, quam suam quoq; sententiã esse *Calui*nus fatetur ĩ vltima admonitione ad Ioachimũ Vvesphalum, & testatur Lanfrancus in lib. aduersus eundem Berengarium. Secundum concilium Vercellense fuit ab eodem Leone indictũ & celebratũ eodẽ teste Lãfranco, atque ĩ hoc cõcilio Berẽgarius per legatos quosdã suos interfuit, & in eis pariter confutatus, & dãnatus fuit.

Tertium fuit concilium Turonense, in quo Victor papa secundus, per legatos præsedit, &

Berengarium præsentem ita confudit, ut etiam ad abiurationem erroris coegerit: quod idem Lanfrancus eodem loco scriptum reliquit.

Quartum concilium idq. frequentissimum, & celeberrimum, &, ut à plurimis uocatur, generale, sub Nicolao ii. Romæ habitum est, atq. ita res tota discussa ac definita est, vt Berēgarius præsens non modo hæresim abiurauerit, sed etiā in medio sancti concilii ignem accēderit, librosq. suos in eum ipse coniecerit; quarum omnium rerum testis est idem Lanfrancus, qui præsens interfuit, & cū Berēgarianis sæpissime disputauit: necnon Guitmundus Episcopus Auersanus, qui & ipse interfuit, lib. 1. aduersus Berengarium.

Quintum concilium sub Gregorio papa septimo item Romæ celebratum est, atque in eo declarata est fides Ecclesiæ, quam Berengariani cū negare non possent, corrumpere falsa interpretatione ac deprauare moliebantur. Itaque præscripta est abiurationis formula, in qua perspicue legeretur, panem & uinum in altari per uerba consecrationis substantialiter conuerti in ueram & propriam Christi carnem, uerumque ac proprium Christi sanguinem Vide acta huius concilii apud Thomam Valdensem, tomo 2. de sacramentis, cap. 43.

Sextum concilium œcumenicum & maximum sub Innocentio tertio celebratum cap. 1. ueritatem ac fidem eandem his uerbis comprehendit. Vna est fidelium vniuersalis Ecclesia,

fia; extra quam nullus omnino saluetur? in qua idem ipse sacerdos & sacrificiũ Iesus Christus, corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis,& uini ueraciter continetur, trãsubstantiatis pane in corpus, & uino in sanguinem potestate diuina,ut ad percipiendum mysterium unitatis,accipiamus ipsi de suo,quod accepit ipse de nostro. Septimum est Viennense conciliũ generale,in quo præter cæteros Begardorum errores,ille damnatur quod non sit sacrosanctæ eucharistiæ assurgendum ac reuerentia exhibẽda, Quem errorem Caluini quoque,& omnium sacramentariorum esse,nemo est,qui nesciat.

Octauum concilium Romanum fuit sub Ioãne 22. Romæ coactum, in quo Ioan. Vvicleffi errores discussi & condemnati sunt.Quorum errorum præcipuus ille erat, in quo cum Berengario ds cęna Domini conueniebat. Meminit huius concilii,ut generalis & sacrosancti, synodus Constantiensis sess.8.

Nonum concilium est ipsum iam citatum Constantiense sess. 8. ubi post accuratam doctrinæ Ioan. Vvicleffi discussionem, damnantur articuli 45. quorum primus est, substantiam panis manere in sacramento altaris. Secundus, accidentia non manere in sacramento eucharistiæ sine subiecto. Tertius, Christum non esse in sacramento eodem identice, & realiter, in propria præsentia corporali. Quos articulos non magis Vvicleffi, quàm Caluini, & omnium

nium Hugonottorum esse, nemo negare potest.

Decimum concilium item œcumenicum, Florentinum est, in quo Latinis Græcisque patribus consentientibus, in instructione quæ tradita est Armenis catholicæ fidei ueritas, his uerbis cõprehensa est: Verborum uirtute substantia pa-
" nis in corpus Christi, & substantia uini in san-
" guinem conuertuntur. Quid iam dicet Apologe-
" ticus? negabit Nauarrenum Caluinistam esse? at ipse, ut in hac ipsa apologia scribitur pag. 120. & pag. 124. protestatus est in cõuentu ministrorum Caluinianorum apud Montẽ Albanum anno 1584. animum sibi esse uiuendi & moriendi in religione ipsorũ edictis permissa, id est, in ea religione (si tamẽ religio dici debet) quæ cũ uera religione aduersa frõte pugnat, quæ Geneuæ potissimũ uiget auctore Caluino. Infitiabitur Caluinum cum Berengario, ac Vvicleffo ueram conuersionẽ panis in corpus Domini pernegasse? at extant integræ disputationes Caluini in hanc sententiã, tum in lib. de cęna Domini, tum in institutione Christiana lib. 4. cap. 17. audebit asserere, in nullo generali vel nationali concilio à Frãcorũ regibus admisso, sententiã illam, ut hæreticã esse damnatã? at nos decem concilia protulimus partim nationalia, partim etiam generalia, quorum alia in Italia, alia in Gallia, alia in Germania habita sunt, neque est eorum ullum à Christianissimis regibus improba-

tum.

tum. *Non* me latet *Caluinianos* hęc omnia ecclesiastica iudicia, hæretico more contĕnere; sed nos cum eo nunc agimus, qui se catholicę Romanæ Ecclesiæ filium esse dicit, quique in hac ipsa apologia pag. 51. pontificū Romanorum & conciliorū canones, sancta decreta catholicæ ecclesię appellauit. Atque hic vnus articulus de cęna Domini satis esse poterat, ut Hugonottos hęreticos iam olim ab Ecclesia catholica iudicatos & damnatos esse nō dubitaremus. Sed non grauabor de paucis adhuc articulis Ecclesiæ iudicium ac sententiam in Hugonottos, breuiter annotare. Cōtrouersia de libero arbitrio eiusmodi est, vt Martinus Lutherus sectariorum omnium huius temporis parens in assertione articuli 36. scriptum reliquerit, totius doctrinæ suę summā hac una controuersia contineri. Quę autem fuerit eius de arbitrii libertate sententia, ex his verbis, quę ibidem scripta extant, intelligi poterit. Liberum arbitrium est figmentum in rebus, & " titulus sine re, quia nulli est in manu sua quip- " piam cogitare boni uel mali, sed omnia (ut " Vvicleffi articulus Constantię damnatus recte " docet) de necessitate absoluta eueniunt. Hęc " Lutherus. quam sententiam Ioan. etiam Caluini, & Hogonottorum omnium, ac per hoc *Nauarreni* esse, nemo negabit, qui *Caluini* institutionem legerit lib. 1. cap. 16 & lib. 2. cap. 2. 3. 4. & 5. vel Antidotum ad sextam sessionem concilii Tridentini; uel denique responsionem ad

libros

libros Alberti Pighii de libero arbitrio. Certe quidem lib. 1. Instit. c. 4. paragrapho 6. non modo liberum tollit arbitrium in electione earum rerũ, quæ ad mores uel religionem & pietatem pertinent, sed earum etiam, quæ (ut ipse loquitur) nec iustæ per se, nec uitiosæ sunt, & ad corporea magis, quam spiritualem uitam spectant. Hanc aũt sententiam hæreticam plane, atq. ab Ecclesia catholica non semel damnatam, ac proinde Hugonottos omnes uel hoc solo nomine hæreticos esse, & ab ecclesia catholica iure optimo exclusos ac præcisos, subiectis testimoniis comprobatur.

Bardesanem circa annum Domini 170. inter hæreticos ab ecclesia numeratum, quod liberi arbitrii hominem esse negauerit, testatur sanctus Augustinus in libro de hæresibus cap. 35. Manichæos qui circa annũ Domini 276. exorti sunt, eadem de caussa hæreticos iudicatos, testatnr sanctus Hieronymus præfatione dialogorum aduersus Pelagianos, & sanctus Augustinus lib. de hæresibus cap. 46. Priscilianum circa annum Domini 390. eodem nomine hæreticum habitum, & ab Ecclesia publico iudicio condemnatum, testis est idem sanctus August. lib. de hæresibus cap. 70. Necnon sanctus Leo in epist. 91. ad Turbium, & Bracarense concilium primum can. 10. Errorem eundem circa annum Domini 450. intra ipsas Gallias, ecclesiastici præsules, satis aperte damnarunt in cõcilio 2. Arausicano can. 8. 13. & 25. ubi liberum arbitrium per Adæ peccatũ,

non

non amissum aut extinctum, sed infirmatum atque attenuatum legimus, ut quę *Deo* sunt placita, gratia Dei adiuuante, quod per se non poterat, ualeat adimplere.

Petrum Abailardum circa annum Domini 1140. propter eandem hęresim ab Innoc. ii. pontifice, & *Senonensi* concilio condemnatum testis est S. Bernardus in epistol. 194. & extat hist. eius rei in 3. lib. uitæ S. Bernardi cap. 5.

Ioan. Vvicleffum circa annum Domini 1415. cum ob alios multos errores, tum ob hãc ipsam hæresim de arbitrii libertate *Constantiense* concilium generale hæreticum iudicauit. Quę cum ita sint, facile lector intelligit, auctorem apologię frustra contendere, Hugonottos non esse habendos hæreticos, quod Tridẽtinũ concilium à quo damnati sunt, legitimũ non videatur. Quidenim si Tridentinũ concilium numquam extitisset, an ideo reuocanda essent in dubium tot precedẽtia iudicia *Christiani* orbis vniuersi? Sed ad alia veniãus. Quęstio de peccato originis, & baptismi necessitate, grauissima est ac fuit semper in Ecclesia, vt sanctus Augustinus li. 1. in Iulianũ cap. 2. scriptum reliquerit, quæstionẽ istam adeo esse magnã, vt in ea *Christianæ* religionis summa cõsistat. Neque obscurum est, quid ea de re Caluinus atque Hugonotti ceteri sentiant. *Nimirum* liberos fidelium sanctos nasci docent, neque baptismo ad salutem æternam indigere: neque ideo baptizandos esse, vt sancti fiant,

sed

sed quia sancti sunt. Id habet Caluinus (vt alios interim omittamus) in antidoto cōcilii Tridentini, & in lib4. Instit. ca. 19. paragrapho. 26. vbi disertis verbis pronuntiat, nō perire omnes infantes, qui sine baptismo de hac vita decedunt. Atque hanc manifestam, & ipsis potissimum infantibus perniciosam hæresim esse, tot scripturę testimoniis, tot cōciliorū decretis, tot pōtificū respōsis olī aduersus Pelagianos demonstratū est, vt S. Aug. in lib. 3. de origine animę cap. 9. nō dubitāter scripserit, Noli credere, noli dicere noli docere infantes antequā baptizētur, morte pręuentos, peruenire posse ad originaliū indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus. Et in epist. 28. ad sanctum Hieronimum. Quisquis dixerit, quod in Christo viuificabūtur ēt paruuli, qui sine sacramenti eius participatiōe de vita exeunt, hic profectò, & cōntra apostolicā prædicationē uenit, & totā cōdemnat ecclesiam. Quid iam de cultu imaginū dicā? quis enim ignorat ante annos ferme nongētos Iconomachorū hæresim, quæ nunc per Hugonottos instaurata per orbem terræ incredibili furore grassatur, in concilio secundo Nicæno œcumenico atque plenissimo, publico totius Ecclesiæ catholicæ iudicio, esse damnatum? Quid de oratione pro defunctis, de statis ieuniis, de differentia Episcopi & presbyteri, deq; aliis eiusmodi rebus, in quibus Aerii errores versantur, quos ante annos mille centum ab vniuersa eccle-

sa ecclesia damnatos esse grauissimi auctores testantur, Epiphanius, hæresi 75. August. lib. de hæresib. cap. 53, Damascenus, de centum hæresib. & quos sibi cũ Aero cõmunes esse nulla ratione infitiari queũt Caluinistę? Quid denique de hęresibus Vigilantii, ac Iouiniani, de continentia, & uirginitate, de sanctorum meritis, ac prẹmiis, de cultu reliquiarum, de sanctorum inuocatione, de ciborum delectu disserere necesse est? an non & uerbo & opere sę Hugonotti Iouiniani, & Vigilãtii sectatores prædicant? Qua fronte igitur apologię auctor hęreticos esse negat, quos Manichęos, Pelagianos, Aerianos, Priscillanistas, Iouinianistas, Vigilantianos, Berẽgarianos, Vvicleffistas esse negare non potest?

CAP. IX.

SED fingamus nunc, ut ad quartũ & postremum caput ueniamus, nihil horum nos habere quę hactenus protulimus, & à solo Tridentino cõcilio Hugonottorũ sententiã hęreticã esse iudicatam: unde quęso apologię auctor iudiciũ hoc infirmabit? ego sane in tota apologia nihil aliud inuenire potui, nisi clamores inanes, solidũ argumẽtum nullum reperi. Pag. 71. ea ratio solũ affertur, cur Tridentinum cõcilium generale & legitimum non sit habendum, quod uideatur coactum ad regem Francorum in publicis conuẽtibus suo loco deiiciendum, & ei regem Hispanorum anteponendum: quodque rex Christianissimus Episcopos Gallos ad id concilium

accedere prohibuerit, deinde pag. 90. additur illa ratio, quod cõcilii Tridẽtini decreta iurisdictio in ecclesiasticos regi Frãcorum ablata, vel imminuta videatur. pag. 184. repetuntur pauca quædã ex pestilentissimo lib. *Caroli Molinei* cõtra syondũ Tridentinã, quod videlicet summus Põtifex officiũ partis & iudicis in ea synodo gesserit? quod qui pro reformatione instabant, non sint auditi: quod ad scripturã probãdã, & examinãda sint cõciliorum decreta, cum scriptum sit.
1. *Io.* 4 Nolite credere omni spiritui, sed probate nũ ex
1. *Thess.* 5. Deo sint. Et oĩa probate, quod bonũ est, tenete. Denique pag. 188. & sequentibus multa proferũtur Gallicãi regni ecclesiastica priuilegia, quę decretis synodi Tridẽtinæ videãtur conuulsa aut violata. Atquæ hæc sunt, quæ nõ exigua cura, ac diligẽtia apologiæ auctor ex variis locis conquirere & contra synodũ Tridẽtinam quasi in aciẽ producere potuit. Quæ sane nõ tam concilium lædunt, quã in regem ipsum Francorũ cõtumeliosa sunt. Quid enim aliud mendaciis suis iste molitur nisi toti orbi terrarũ persuadere, regem Francorũ schismaticum esse, uniuersali ecclesiæ inobediẽtem, à cœtu fidelium, atque orthodoxorũ, qui Tridẽtinũ cõcilium suscipiunt, alienum? sed nunquam id obtinebit. Extant enim litteræ Caroli noni Francorum regis clarissimi ad synodum Tridentinam, datæ mense Aprili anni 1562. in quibus & synodum œcumenicam meneratur; & rationem reddit, cur episcopi
Gallicani

Gallicani ferius ad conciliũ venerint, & oratorẽ designat, qui nomine Maiestatis suæ ĩ cõcilio se det, summi ordinis equitem Dominum de Lansaco, virum clarissimũ, cui etiam adiungit Renaldum Ferrerium præsidem Parlamẽti, & Guidonẽ Fabrum iudicẽ maiorẽ Tholosæ, sed forte episcopi Gallicani, & regis Christianissimi oratores ad concilium venerunt, sed in concilio ad finẽ vsque non manserunt Immo vero cõstanter mãserunt, & cũ in sessione postrema acta omnia recogoscerentur, adfuerunt, & Episcopi calculũ suum adiunxerũt. At Henricus ii. Episcopos Gallos ad concilium ire uetuerat. Quid initio Rex Hẽricus egerit, non est hoc loco necesse curiosius perscrutari. non enim concillii admissio ex initio, sed ex fine petenda est, cuius tempore conciliũ reiecisse dicendus est, cuius tempore concilium inchoatum est, non perfectum, sed ille vere cõcilium recepisse dici debet, qui cõcilium perfectum atque absolutum, sui quoque regni Episcopis cooperãtibus vidit, quique per legatos suos concilium eo tempore cohonestandum censuit, quo acta omnia firmabantur, ac sanciebantur.

CAP. X.

QVOD vero apologiæ huius auctor scribit, Tridẽtinam synodũ in eum finem initio cõgregatam, vt rex Christianissimus suo loco deijceretur, merum est hominis male sani figmentum. Est in manibus omnium liber, quo eius

concilii

concilii acta, decreta, canones continentur. Euol uatur diligenter totus; nihil usquam eiusmodi reperietur. Ex actis autem in ipso concilio die 21 Iulii anni 1563. palam intelligi potest, non modo concilium nihil omnino tẽtasse, quod regis Francorum dignitas minueretur: sed ipsos etiam regnum oratores de hac re contendere in concilio noluisse, ne disceptationis huius occasione, concilii cursus vel minimũ retardaretur; Itaque cum bona omniũ pace sedisse Gallum oratorẽ proxime post Cęsaris oratorẽ, ut uolebat, Hispanum vero extra ordinẽ alio loco. Quid quod ad tollendas omnes eiusmodi lites in ipsa prima sessione concilii salubriter est constitutum, ut si forte contingeret aliquem non suo loco sedere, nullum propterea praeiudicium gigneretur, nulli que nouum ius acquireretur? quod idem repetitum legimus sess. 25. cum iam concilium solueretur. Quare tantum abest, ut uerum sit quod aduersarius fingit concilium Tridentinum eo potissimũ spectasse, vt Francorum regem infra regem Hispanię constitueret, vt potius diligẽtissime cauerit, ne contẽtiones de locis, ac sedibus locum vllum in eo conuentu haberent, qui erat ad fide explicãdam, & cõtrouersias grauissimas componendas conuocatus. Et cur obsecro aduersarius qui alioqui tam prodigus est verborũ, ut eadem sępius repetat & inculcet, hoc loco tam fuit verborum auarus, vt ne locum quidem vllum in tam magno concilio indicauerit, vbi

rit, vbi de controuersia ista sedium agatur? an est vlla ratione probabile, præcipuam cōcilii curam in eo sitam fuisse, vt regem Frācorū deprimeret, & tamē de hac tāta re nullum vsquā in toto concilio verbū extare? sed nō recte facio, qui aduersus eum argumēta colligo, qui quod temere effutiit, ne tenuiter quidem probauit.

CAP. XI.

IAM illud sequitur, quod ex Carolo Molinæo depromptum apologię suæ inserendū putauit aduersarius. In Tridētino concilio summū pontificem partem, & iudicē simul fuisse: cum ipse cōcilium conuocauerit, & in eo per legatos, vt iudex prẹsederit; & tamē ipse sit qui à Lutheranis potissimum accusatur. Sed facile est obiectionem istā diluere. Neque enim Rom. pontifex priuari debet, aut potest iure suo concilia conuocandi, atq; in eis præsidendi, nisi prius in legitimo iudicio conuincatur non esse amplius summus pontifex. Siquidem illud ius per annos supra 1500. obtinuit. Neque vero in summo principe æquitati repugnat, vt idē sit pars & iudex. Princeps enim supremus donec nō legitime declaratur excidisse principatu, semper est iudex, etiamsi cū ipso lis instituatur. Ac vt intelligas id neque nouum esse, neq; ab ecclesiæ institutis alienū: ad acta veterū cōciliorum animum parumper aduerte. Cū sanctus Marcellinus Pontifex Rom. idolis thus adhibuisset, atque eius criminis caussa Sinues-

ſæ ingens concilium conueniſſet: nemo tamẽ auſus eſt in eum ſententiam dicere, ſed exclamarũt Epiſcopi vna voce, tuo ore iudica cauſſam tuam, non noſtro iudicio: noli audiri in noſtro iudicio, ſed collige in ſinu tuo cauſſam tu. Quia prima ſedes non iudicabitur à quoquã. Quę omnia & in actis concilii extant, & à Nicolao primo Põtifice optimo, & doctiſſimo ĩ epiſtola ad Michaelem Imperatorem commemorantur. Sixtus tertius cum à quibuſdã adulterii reus peragetur, concilium ab imperatore cõgi voluit; ſed non ante Epiſcopi congregati cauſſam cognoſcere auſi ſunt, quam à pontifice audiuiſſent, velle ſe ut cauſſa iudicaretur, tametſi in arbitrio ſuo eſſe non ignoraret etiam non iudicari. In cõcilio 4. Romano ſub Symmacho legimus Epiſcopos in cauſſa eiuſdem Symmachi congregatos palam aſſeruiſſe, non potuiſſe concilium, niſi à pontifice iure indici, etiamſi ipſe eſſet, qui accuſaretur. Scribit Paulus Aemilius lib. 3. de rebus geſtis Frãcorum, Carolum Magnũ aliquãdo Romę in cõcilio Epiſcoporum, qui ex tota Italia, & Frãcia ſimul conuenerãt, ſentẽtias rogare cœpiſſe in cauſſa papæ Leonis, qui à quibuſdã reus magni criminis aſſerebatur: ſed epiſcopos una uoce Carolo reſpondiſſe, ſedem Apoſtolicam omnium eccleſiarum caput à nemine poſſe iudicari. Quare imperatore acquieſcente, pontificem ſponte ſua iureiurãdo crimen quod ei falſo obiiciebatur, diluiſſe. Ac ut ad primaria eccle-

ria ecclesiæ concilia ueniamus, nonne Arius cũ Alexandro de fide quondam litigabat? & tamen in concilio sedit iudex cum cæteris coepiscopis suis. Alexander in synodo prima Ephesina nonne Cyrillus Alexandrinus presedit, ut Cælestinus Rom. pontifex iusserat, qui tamen altera pars liti gãtiũ à Nestorianis dicebatur? In synodo Chalcedonẽsi quis alius, quæso, nisi Rom. pontifex Leo per legatos præsedit, cum tamen caussa tota inter ipsum Leonem, & Dioscorum uersaretur? His accedit, quod cum in synodis nõ solus Papa sit iudex; sed multos habeat collegas; si uere conuinci possit in heresim incidisse, plane iudicari, & deponi poterit uel inuitus. Nihil igitur est, cur Tridentinum Concilium minus legitimum uideatur, quod à Rom. Pontifice fuerit congregatum.

CAP. XII.

IAM uerò quod clamat, & nõ semel reperit aduersarius, in Tridẽtino Cõcilio protestãtes auditos nõ fuisse. Primũ refellitur ex eo libro, quẽ ipsi cũ hac ĩscriptionẽ protestãtes ediderũt. Caus- „
sæ cur electores Principes aliique addicti confes- „
sioni Augustanæ ad Concilium Tridentinum „
non accedant. Siquidem in eo libro fatentur, se à „
Pontifice Maximo ad commune concilium inuitatos, ut cum catholicis de religionis controuersiis disceptarent. Deinde extant in ipso concilio tribus in locis sess. 13. 15. & 18. amplissimi saluicõductus, quibus protestantibus li-

 bertas

bertas concedebatur ad concilium veniendi, disserendi, respondendi, & quicquid aliud vellent libere proponendi; necnon pro arbitrio in loco concilii commorandi, atque inde sine ullo periculo recedendi. Qui quod non solum concilii patres frequenter aduersarios amicissime inuitarũt, atque ad conferendum ex verbo Dei de præsentibus controuersiis prouocarunt, sed etiam vt ex iisdem sessionibus cognosci potest, definitiones grauissimarum quæstionum ob eorum absentiã in longum tempus sæpe distulerunt. Quæ cum ita sint, qua fronte queri possunt aduersarii, se auditos in concilio non fuisse? quomodo enim audiri poterant, qui coram apparere nunquam voluerunt?

CAP. XIII.

SED magnum præsidium scilicet habent aduersarii in illis Apostolicis verbis, Probate spiritus si ex Deo sunt. Et in illis, Omnia probate, quod bonũ est tenete: nimirum licebit vnicuique iudicẽ se conciliorum facere. At non loquũtur Apostoli de rebus certis, & ab ecclesia definitis, sed de nouis, ambiguisque sẽtẽtiis. Alioqui enim si omnia omnino probãda sunt an sint ex Deo, & antequã probentur, non recipiẽda: igitur spiritum cõciliorum Nicæni, Constãtinopolitani, Ephesini, & Chalcedonẽsis probare nobis licebit: &, quod inde sequitur, hæreses Arii, Macedoni, Nestorii, Euthychetis, iterum erunt ĩ controuersiam reuocandæ. Et quid ego concilia loquor?

loquor? Ipsa verba scripturæ diuinæ, ipsa oracu la prophetarum,historiæ Mosis,psalmi Dauidis, epistolæ,Petri, Pauli, Ioannis,Iacobi, Iudæ, ipsa denique euangelia probanda erunt, & exami nanda. Cur enim nō in his locū habeat;Probate spiritus;& oīa probate? Quod si ea quæ semel in legitimis cōciliis ꝓbata & cōstituta sunt,certa & explorata sunt habenda,neque vlla ratione in du bium reuocanda:vt etiam lege sua cauit pruden-tissimus imperator Marcianus C.de sum Trin.& fi.catho.l.Nemo.nulla ratio est, cur Tridentini concilii œcumenici, atque à sede Apostolica ap probati, & totius Christiani orbis consensione recepti decreta in dubium reuocari patiamur. Deinde si res etiam iudicatæ,ac definitæ in quæstionem vocari possent,quis esset controuersiarū finis?nam si concilii decreta priuati homines exa minare queunt,maiore certe ratione concilium rursus de priuatorum hominum cēsura iudiciū feret. Quare iudicia,atque censuræ perpetuò in orbem redibunt, & dum semper spiritus probā tur,nihil erit vmquam stabile,atque certum. Sed alia est doctrina, alia sententia scripturarum. Moses in Deuteron. cap.17.cūm dixisset,Si difficile, atque ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, &c.surge & descende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem. Non addi-

dit, proba spiritum iudicis & sacerdotum; sed Qui superbierit noles obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex sententia iudicis morietur. Neq; absimile est, quod in euangelio dominus loquitur Matt. 23 super cathedram Mosis sederunt Scribæ, & Pharisæi, quæcunque dixerint uobis seruate & facite. Et Apostoli in concilio Act. 15. Visum est (inquit) spiritui sancto, & nobis nihil ultra imponere uobis oneris, quam hæc neccessaria. Et beatus Paulus, qui aliquando scripsit, omnia probate; noluit tamen probari dogmata concilii Apostolici, sed (ut S. Lucas scribit Act. decimosexto) cum pertrāsiret ciuitates, tradebat eis custodire, quæ decreta erant ab Apostolis, & senioribus in Hierusalem. Maneat igitur uerba illa scripturæ, probate spiritus, & omnia probate, non ad conciliorum legitimorum, & generalium decreta referendum esse, sed ad priuatorum hominum reuelationes, & doctrinam, presertim si noua, dubia, inaudita, receptæ atque approbatæ doctrinæ contraria, aut non omnino congruens & consentiens esse uideatur.

CAP XIIII.

VLTIMA restat obiectio, quod Tridentinum Concilium multa decreuerit aduersus regni Gallici libertatem, atque ideo in eo regno receptum non sit. Sed hæc obiectio ad rem nihil facit. Neque enim hoc loco de iurisdictione ecclesiastica, uel seculari, sed de

fide

fide tantum.& religione agimus.Nam id est nobis propositum, vt ostendamus Hugonottorum hæresim in legitimo concilio esse damnatam. Quare licet in Gallia decreta Concilii, quæ ad reformationem pertinēt, nō sint omnia adhuc recepta, atque admissa, de qua re non putaui operæpretium nunc disserere: tamen in iis quę ad controuersias fidei spectant, Conciliū Tridentinum non minus in Gallia, quam in reliquo orbe christiano receptū esse nemo negare potest. Certe ab episcopis omnibus, qui in uniuerso regno Fráco rum Christi ouibus pręsunt, Concilium hoc receptum esse ipse quoque aduersarius confitetur pagina 187. Quis uero sibi persuadeat aliam esse fidem, & religionem in Gallia episcoporum, aliā regis Christianissimi, & populi catholici: Quomodo enim Rex Christianissimus dici posset, si ab episcopis omnibus in negotio fidei dissentiret? & populus qua ratione ad Christi ouilia pertineret, si nullos omnino pastores agnosceret? Quæ cum ita sint, non potest Concilium Tridentinum in explicanda fide catholica ab episcopis omnibus Francis esse receptum, quin simul etiam à religiosissimo Christianissimoque rege, & catholico eiusdem populo sit receptum. Quod si ab episcopis, à rege, à clero, & populo Regni Francorum fides Concilii Tridentini debita cum ueneratione suscipitur, ut re ipsa suscipitur, certe Hugonottorum errores, ac proinde etiam Nauarreni in ea synodo iudicati

ac damnati sunt, quam in caussa fidei legitimã, & æcumenicam fuisse non Italia solum, & Hispania, sed Francia quoque, & cæteræ omnes catholicæ prouinciæ confitentur.

PARS TERTIA.

CAP. XV.

RESPONDIMVS hactenus ad ea, quæ apologiæ auctor in medium attulit vt probaret Henricum Nauarrenum, quamuis Hugonottum, non esse hæreticum. Sequitur, vt ad ea respondeamus, quibus idem auctor nititur affirmare, non posse reges iure successionis, vel imperii & iurisdictione sua propter hæresis crimē ab apostolica sede priuari. Initio igitur in 2. parte apologiæ nu. 8. pag. 61. ubi disputationem de iure ingreditur aduersarius, nō negat extare permulta pōtificū, & Cæsarum rescripta, & conciliorū etiā genaraliū decreta, quibus hæretici priuantur omni successionis iure: sed excipit illis omnibus seu legibus, seu canonibus priuatos tantū homines respici, quorū bona & successiones legibus politicis magistratuum subiiciuntur; Imperiorum vero, & regnorum, longe aliam rationē esse. Deinde pag. 62. probat, ut ipse quidem existimat, ex diuinis literis non posse reges de solio deiici ulla de caussa, quod regna demanu Dei, non hominum obtineantur. Tertio pag. 71. nititur demonstrare, non debere principes hæreticos

tempora

temporalibus pœnis terreri, quod hæresis animorum non corporum sit ægritudo, proinde spiritali nō corporali pharmaco curāda sit. Quarto confirmat idipsum pag. 112. maiorum nostrorum cōsuetudine, qui imperatores, ac reges hæreticos æquo animo tolerauerunt. Quinto pag. 131. contendit Romanū pontificem nullam habere in reges, ac principes potestatem, & pag. 156. adiūgit id potissimum locum habere in regno Francorū, ubi principes eo priuilegio gaudent, vt neque ab episcopis, neque a summo pontifice excommunicari possint. Atque hæc sunt quæ aduersarius in hac disputatione sine vllo pene ordine, infinitis parergis admistis, attingit. Vt igitur à primo incipiā, quod aduersarius assumpsit, & non probauit, eius ego vehemēter admiror vel imprudentiam, vel malitiam, nam cum plurima extent decreta canonica, quibus hæretici cuiuslibet gradu, & dignitatis temporalibus bonis priuantur, eaque aduersario nō incognita fuerint, quippe quæ ab ipso infra citantur pag. 158. si non aduertit se sibi in eodem libro apertissime repugnare, imprudens; si aduertit, improbus fuerit necesse est, cum tam audacter asseruit, decretis canonicis priuatos solum homines, non autem principes respici. Sed canones ipsos recitemus. cap. Absolutos. Extra de Hæret. ita legimus. Absolutos se nouerint à debito fidelitatis dominii, & totius obsequii, quicumque captis manifeste in hæresim aliquo pacto quacumque firmitate

te uallate tenebantur obstricti. An hoc decretum non ad principes maxime pertinet? à quorum obedientia, & fidelitate si absoluuntur populi,cõsequens est, ut principatu simul ipsi deiiciantur. cap. Excommunicamus, eo. tit. paragr. Moneãtur, rursus in hæc uerba legem sancit Cõcilium œcumenicum, atque ab omnibus orthodoxis debita ueneratione susceptũ; Moneantur,& inducãtur,& si necesse fuerit,per cẽsurã ecclesiasticã compellãtur sæculares potestates cuiuscũque officii,ut sicut reputari cupiunt,& haberi fideles, ita pro defensione fidei præstẽt publice iuramentum, quod de terris suæ iurisdictiõi subiectis,uniuersos hæreticos ab Ecclesia denotatos, bona fide pro uiribus exterminare studeant, ita quod à modo quandocumque quis fuerit in potestatẽ siue spiritualem, siue temporalẽ assumptus, hoc teneatur capitulũ firme. Si uero dominus temporalis requisitus & monitus ab Ecclesia, terrã suã purgare neglexerit ab hac hęretica fęditate, per Metropolitanos,& comprouinciales Episcopos, excõmunicationis uinculo innodetur,& si satisfacere cõtempserit infra annũ, significetur hoc Summo Põtifici, ut ex tunc ipse uasallos,ab eius fidelitate denuntiet absolutos, & terram exponat catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis, sine ulla contradictione possideant, & in fidei puritate conseruent, saluo iure domini principalis, dummodo super hoc ipse nullum præstet obstaculum, nec ali-

quod

quod impedimentum opponat, eadē nihilominus lege seruata circa eos, qui non habent dominos principales. Hæc ibi. Si igitur Principes temporali sua iurisdictione priuantur, cum hæreticorum extirpationi negligenter operam nauant: quanto maiori ratione priuādi erunt, si hæretici ipse fiant, atque in locis suæ potestati subiectis hæresim fouere, ac propagare conentur? His accedunt decreta Greg.vii.& Vrbani 11. quæ habentur apud Gratianū c. Nos sanctorum, & can. Iuratos. 15.q.7. ubi liberantur à iuramento fidelitatis qui principi ab Ecclesia excōmunicato tenebātur obstricti. Porrò mentem eorum qui canones condiderunt, etiam si in eis principum mentio nulla fieret (ut re ipsa fit) non eam fuisse, ut Reges atque Imperatores exciperent à communibus legibus in hæreticos latis, exempla, & res gestæ declarāt. Gregorius secundus Pontifex Rom. Leonem imperatorem hæreticum, iconoclastam, id est, illa ipsa hæresi laborantē, qua Nauarrenum, & omnes Hugonottos laborare aduersarius non negabit, non excōmunicauit solū, sed etiā ea Imperii parte multauit, quæ in Italia erat. Vetuit enim Italis, ne illum pro Imperatore agnoscerent, neue illi deinceps ulla tributa, aut uectigalia soluerent. Scribunt autem hanc historiam non solum Cedrenus, & Zonaras in uita Leonis Isauri, sed etiam Magdeburgenses Lutherani in historia ecclesiastica, centuria 8. cap. 10. Zacharias item summus Ecclesiæ catholicæ Pastor,

cum

cum accepisset ob socordiam Childerici Francorum regis & religioni & regno in Gallis extremum exitium imminere, à primoribus Francorum rogatus, populos à iuraměto, quo Childerico tenebantur absoluit, & Pipinū regem creari mādauit. Annales Francorū antiquissimi sic habent: Data auctoritate sua, Zacharias iussit Pipinū regem constitui, & infr. secundū Rom. pontificis sanctionē Pipinus rex Frācorū appellatus est. Gregorius pōtifex septimus, Henricū quartū imperatorem tum ob alia multa scelera, tum potissimum ob simoniacā labem, quam veteres hæresim Simonis appellare solent, excommunicauit, & simul imperio, quod annos iam multos tenuerat, decreto suo priuauit; cuius rei plenæ sunt omnes historiæ. Sed vnum Murianum Scotum eorum temporum æqualem pro omnibus audiamus. Sic igitur ille scribit in chronico anni 1075. hæc & similia nefanda, & inaudita Henrici regis flagitia uidentes & audientes fieri catholici uiri per id tempus in ecclesia constituti, cum propheta Helia zelo Domini zelantes pro domo Israel, directis Romam nuntiis ad Alexandrum apostolicæ sedis antistitem hæc ei, & alia quamplurima, quæ in regno Theutonico insanientibus simoniacis hæreticis, rege Henrico auctore, & patrono dicta & gesta sunt, tam litteris, quam uiua uoce gemendo, ac dolendo conquesti sunt, & infra. Gregorius querimoniis & clamoribus catholicorum iustis aduersus Henricum & scelerum

lerum eius immanitatem auditis, zelo *Dei* accẽsus iam dictum regem excommunicatum pronuntiauit, maxime propter simoniam: quod factum catholicis quidem viris bene placuit; simoniacis vero, ac fautoribus regis, nimium displicuit. hæc ille.

CAP. XVI.

QVONIAM igitur decreta Ecclesiæ clarissima exstãte quibus principes in caussa hæresis temporalibus pœnis, amissiõis etiã regnorũ atq; imperiorũ subiciiũtur: videamus, nũ ea decreta diuino iuri congruẽtia sint, an illi potius, vt contendit aduersarius, repugnent. Imperia atque regna (inquit aduersarius) à manibus legitimorũ dominorum auelli non possunt siue ex hæresi, siue ex alia quacumque caussa, quia immediate de manu Dei æterni, ac non hominum obtinẽtur. Id autẽ ita esse probat ex illis scripturæ diuinæ testimoniis, Per me reges regnant, &c. prouerb. 8. Vt viuentes intelligant, Altissimum dominari in regno hominum, & dare ipsum cui vult, &c. Dan. 4 Feci terram, & homninem, & bestiam, quæ est in superficie terræ potentia mea, & dedi eam cui visum est dare, &c. Hier. 7. Time regem, Rom. 13. Dabo tibi regẽ in furore meo. Oseæ 13. Facit vt regnet hypocrita ob peccata populi. Iob. 34 quibus addit Isidori sententiã ex Gratiani decreto, Difficile est reuocare principem ĩ melius, si vitiis deditus est, quia populares metuunt magistratũ, Reges autem nisi retra-

hantur solo timore Dei, & tormentorum infernalium metu: præcipitant se in omnem licentiam, & se abire sinunt in abyssum peccati. Hæc sunt videlicet robustissima illa argumenta, quibus demonstrari existimat aduersarius, regna immediate donari à Deo, & propterea nõ posse vlla de caussa de manibus legitimorum principum auferri. Piget profectò me cum eiusmodi homine disputare, qui neque dialecticã tenet, neq; philosophiã degustauit vmquam, neque scripturas, nisi negligentissime legit, ac ne ipsam quidem, quam profitetur, iurisprudentiam callet. Quid enim, quæso, loca illa scripturæ? quid Isidori testimonium ad rem faciunt? vbinam in testimoniis allegatis habetur, immediate regna donari à Deo? A Deo regna concedi, regem esse timendum, improbum regem in omnem sceleris licentiam ruere, quis vmquam negauit? at num ideo colligendum erit continuo, immediate regna donari à Deo, neque vlla de caussa tolli posse? nam si ita licet argumentari, efficiam etiam priuatis hominibus quidquid tandẽ habẽt, immediate à Deo dari, nec posse vlla de caussa id illis auferri. Apostoli Pauli verba sunt, Act. 14. Et quidẽ nõ sine testimõio semetipsum reliquit benefaciens de cœlo, dãs pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda nostra. & cap. 17. idem Apostulus, Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt. Hic cæli, & terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec

manibus

manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus uitã, & inspirationem, & omnia. Colligamus nunc iuxta dialecticam aduersarii argumentũ hoc modo. Deus dat omnibus uitam, inspirationẽ, cibum, & omnia; ergo immediate omnia dantur à Deo; ergo neque ab hæresim, neque ob ullum aliud scelus priuari possunt homines uita uel facultatibus: iniusti sunt igitur omnes magistratus, qui latrones, falsarios, proditores, maleficos, aliosque id genus homines, uel facultatum ablatione, uel morte ipsa multãt. Quis ferat hominem ita absurde perniciioseque ratiocinantem? atque tale omnino est argumentum aduersarii. Deinde institutiones regnorum ex electione humana originem ducere, & ad ius gẽtium pertinere, usque adeo notum est omnibus, ut ne ipse quidem aduersarius id negare potuerit: neq; enim iure naturali, quod est à Deo immediate, fit ut genus humanum per monarchiam potius, quam per Aristocratiam, aut Dimocratiã, uel alia aliquem fortunam regiminis gubernetur. Alioqui iniustę & illicitę essent omnes Respublicæ, quales intra Ecclesiam catholicam multas videmus, non siue magna laude florere. Et ubi regna constituta sunt, non est à Deo immediate factum, ut hæc familia potius, quam illa regnum teneret, sed populi consensu, & uoluntate reges sunt instituti: siue initio electionum libera, quod rarissimum fuerit, populus in aliquem unum uirum, grauem & sapientem ius suum

transtulerit; siue quod frequentius accidit, tyrannice, ac violenter oppressus, atque armis & potétia domitus, paulatim domitoris sui regiam potestaté approbare ceperit & amare. Ac ne longius nobis excurrere, & arguméta in re perspicua quęrere neccesse sit, aduersarii nostri verba ponamus Pag. 64. sic ait. Populus totam potestatem suam transtulit in manum regis. Quod si ita est, vt reuera est, non igitur de manu Dei immediate, sed per humanum cōsilium, & consensum regna cōstituūtur. Id quod ex illis ipsis testimoniis scripturarum confirmare possumus, quæ pro se attulit aduersarius. Primus ille locus ex 8. capite Prouerb. Per me reges regant, & legum conditores iusta decernunt; ita docet reges à Deo habere vt regnēt, quemadmodum ab ipso habere, vt iustas leges condant. Porrò vt iustas leges condant, non habent à Deo immediate, quasi Deus illis dormiētibus, vt quondam Salomoni, sapientiam infundat, aut leges dictet; sed consilio, prudentia, industria, & labore suo, Deo iuuante, legum conditores iusta decernunt; Vnde etiam humanæ non diuinæ leges appellātur. Sic igitur & reges à Deo habent, ut regnent, quia cum sapientiæ donum, quod in eo loco præcipue commendatur, illis adest, tum demum uel ad regnum legitime iusteque perueniunt, uel regnum iam adeptum probe gubernant, & moderantur.

Alter locus ex cap. 4. Danielis de prouidentia Dei concionatur: qua regna subinde mutantur, &

tur,& de gente in gentem, de prouincia in prouinciam transferuntur. Prouidentia uero non tollit, sed regit humana consilia. Itaque non illa solum dicitur Deus facere, quę immediate facit; sed ea quoque quę, prouidentia ipsius dirigente, uel permittente suo labore, & consilio, homines faciunt. Id quod in regnis Babyloniorum & Assyriorum, de quibus plenæ sunt scripturæ diuinæ, manifeste perspicimus; certe enim Nabochodonosor, de quo Daniel loco citato loquitur, tantum abest, ut tam ingens regnū immediate à Deo habuerit, ut non nisi iniusta oppositione gentium plurimarum, ui & armis ad eam potētiam deuenerit, ob quam etiam postea seuere à Deo punitus fuit; & tamen quia diuina prouidentia, quæ rebus etiam malis bene uti nouit, improba illa regnandi cupiditate, quam in Nabuchodonosor esse uidebat, tamquam uirga furoris sui ad gentes alias puniendas uti uoluit, dicitur Deus illi regnum illud maximū, & nobilissimū cōcessisse. Hier. 27. ego dedi, ait Dominus, oēs terras in manu Nabuchodonosor regis Babylonis. Sed quomodo dederit, audi Isaiā c. 10. Assur uirga furoris mei baculus ipse est, in manu eorū indignatio mea. Ad gentē fallacē mittā eū, & cōtra populum furoris mei mādabo illi, ut auferat spolia, & diripiat prædā, & ponā illū in conculcationē quasi lutum platearum. Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non sic existimabit, &c. Hoc enim loco aperte uidemus, missum dici à *Deo* regem

D Assyrio-

Aſſyriorum ad occupandam,& diripiendam prouinciam Palæſtinæ : non quod præceptum habuerit, vbi obedientia laudaretur: ſed quia permiſit Deus, vt cupiditatem ſuã expleret in eum populũ, qui tali pœna dignus erat : puniendus etiam ipſe poſtea, quod alienã prouinciam nullo iure ſibi vendicaſſet, id enim ſequitur in Iſaia. Et erit cum impleuerit Dominus cũcta opera ſua in monte Sion, & in Hieruſalem, viſitabo ſuper fructũ magnifici cordis regis Aſſur, & ſuper gloriam altitudinis oculorũ eius, &c. Ad eundem modum intelligenda ſunt alia loca ex Hieremia, Oſea, & Iob ab aduerſario in medium allata. Illud autem ex Apoſtolo, regem time, quorſum pertinet, obſecro? an timendus rex non erit, niſi conſtet immediate eſſe creatum à Deo? Denique illud Iſidori poſtremo loco allatum nihil aliud efficit, niſi reges potentiſſimos ſi probi eſſe nolint, vix poſſe, ac ne vix quidẽ, vt plurimum ad rectã viam traduci, cùm plerumq; fiat, vt nemo ſit, qui eos licet iure damnatos, re ipſa cogere, & coercere queat. Exempla non pauca in hac ipſa apologia proferuntur, vt Lodouici iiii. & Friderici ii. Imperatorũ, necnõ Boleſlai Poloniæ, & Hẽrici octaui Angliæ regũ, qui licet ab Apoſtolica ſede, imperiis regnisque priuati, re ipſa tamẽ & in regno, & in improbitate manſerũt. Vbi tamẽ illud nõ eſt prætereundum, Iſidorum non ſcribere, nullum eſſe à quo reges in ordinem cogi poſſint; ſed difficile eſſe reuocare principem

in me-

In melius. Quod quidem, vt verissimum esse dubitari non potest, ita nihil omnino cōtra sententiam nostram pugnat. Quæ cum ita sint, tota illa aduersarii ratiocinatio cōcidit, regna donātur à Deo, nō igitur vlla de caussa de manu legitimorū dominorum auelli queūt. Quare non probauit, quod uoluit aduersarius. Nos autem cōtra facile probabimus posse legitimos principes ob hæreticam labem, usq; adeo iustè principatu priuari, ut nullam habeant caussam querimoniæ. Cū principes politici ad ecclesiam ueniunt, ut Christiani fiant, recipiuntur illi quidem, sed cum pacto expresso, uel tacito, ut sceptra sua Christo subiiciant, & Ecclesiam catholicam non euertant, sed tueantur pro uiribus, ac defendant: & nisi id fecerint, puniri possint etiam regni amissione: non enim alioqui est aptus regno Dei, neq. tuto ad sacramentum baptismi admitti potest, qui non est paratus Christo seruire, & propter ipsum amittere quicquid habet, cum dominus dicat in Euangelio Luc. 14. Si quis uenit ad me, & nō odit patrem suū, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, adhuc autē & animā suam, non potest meus esse discipulus. Et rursus in eodem loco, Qui nō renūtiat omnibus quæ possidet, nō potest meus esse discipulus. Quæ loca, ut sanctus Augustinus recte exponit in epist. 5. ad Marcellinum, sic intelligenda sunt, vt is non possit Christi esse discipulus, qui non est paratus carere potius vxore, liberis, parentibus, opibus,

honoribus, & ipsa etiam vita, quam vt Christũ offendat; Deinde cum Deus in Deuteronomio cap. 17. seuerè prohibeat Regem fieri, qui non sit de fratribus nostris, ne videlicet populum pertrahat ad cultum Deorum alienorum: quo iure posset Ecclesia regem aliquem in cętum suum admittere, qui vellet impune fouere sectas, Hæreticos defendere, religionem euertere, Ecclesiã demoliri? Hinc videlicet sanctus Remigius (sancto Gregorio Turonico teste lib. 2. historiæ Francorum cap. 31.) Clodoueum Regem Frãcorum baptizatur, ita ad illum loquutus fertur. Mitis depone colla Sicamber, adora quod incendisti, incende quod adorasti. Hinc etiam in more positum est apud omnes catholicos reges, vt in ipsa solemni inauguratione se catholicã fidem defensuros iurent, quare nullam profectò iniuriam regibus Ecclesia facit, cum eos admonet, illisque imperat, vt politica sua potestate recte vtantur, legibusq; & pęnis impios & blasphemos, atque in primis hæreticos comprimãt: & nisi id faciãt, à cętu suo illos excludit, principatu super catholicos priuat, & fidelibus populis ne illis obtemperent, iubet. Neque obstat, quod aduersarius passim clamat, diuino mãdato populos obligari, vt regibus suis obtemperent, & fidem iureiurando firmatam, integram præstent. Neque enim Ecclesia docet regibus, dum tales permanent, non esse parendum, sed excommunicando, ac deponendo efficit, ne sint reges, & tum demum

populos

populos ab obedientia, & fidelitate liberos esse denuntiat. Nam & creditoribus diuino iure debita solui debent: sed si qui creditores erāt, desinant esse creditores, simul & cessat obligatio debita persoluēdi. Adhæc possunt, aduersario teste pag. 171. reges abdicare se principatu, & eo modo populos à fide & sacramento sibi præstito liberare, atque ita efficere ne peccent in Dei legē, qui sibi non parent. Quemadmodum igitur populi nihil in Dei præcepta committūt, si regi, sponte se abdicanti, obediētiam denegant; si etiam nihil peccant, si regi ab Ecclesia iusta de caussa deposito, atque in ordinem priuatorum redacto obtemperare recusant. Porrò hæc omnia multis exemplis confirmari possent, sed ego ero contetus vno, quod est huius loci proprium, & ad rem maxime facit. Childericum legitimum Francorum Regem non obstante lege naturalis successionis, & iuramento fidelitatis, & obedientia quam diuino iure populi regibus debent, inuitum deiectum de solio, & in eius locum regem alium substitutū, nullus omnino negat, & ipse etiam in hac apologia aduersarius cōfitetur. Id autem rite ac legitime factum esse nō negant, qui regibus Francorum, qui ab eo tempore in Galliis imperarunt, iniuriam facere nolunt. Sed neque negari ulla ratione potest: nam in primis id factum laudant omnes ueteres, qui de ea re scripserunt: deinde caussa existit maxima: nam (ut scribit sanctus Bonifacius in epist. ad Zachariam) ob socor-

diam Childerici,& superiorum regum totis 80. annis nullæ habitæ fuerant in Gallia synodi, ecclesiæ a laicis & publicanis occupabantur, clerici passim cōcubinas quatuor, aut quinque simul obtinebant, religio omnis fœde cōculcata,& dissipata parum abesse ab extremo exitio videbatur. Ad hæc auctores eius facti sanctissimi viri fuerūt, qui enim fieri iussit, Zacharias fuit, Pontifex omnium consensu optimus, qui exsequutus est, sanctus Bonifacius episcopus & martyr, qui certe auctores iniustitiæ & sceleris publici numquā fuissent. Euentus denique manifeste docuit, rem illam Deo gratam, & Francis omnibus vtilissimam fuisse: numquam enim regnum Francorum pontentius,aut religio in Gallia florentior fuit,quam temporibus Caroli & Pipini. Maneat igitur posse aliquando legitimos principes iure ac rite iurisdictione sua priuari.

CAP. XVII.

SEQVITVR nunc ut paucis illud excutiamus, quod tertio loco posuimus, an ideo principes hæretici tēporalibus pœnis afficiendi nō sint quod hæresis morbus animi, nō corporis sit. Sic enim loquitur aduersarius pag. 71. Prætereaid
" confirmo, nō esse in armis rationē curandi hoc
" malū petitā. An nescitis cum doctrina religionis
" agitur, errorē in religione morbū esse animæ, &
" spiritus; quid ergo vos inuestigatis medicamēta
" spiritualia in his curandis morbis? & infra
" pag. 146. quod de hæresi dixerat, ad alia pecca-

ta,

ta, quæ in Deũ committuntur, extendit. Qui autem, inquit, in Deũ peccat, ut dicebat Alex. Seuerus, satis Deũ habet ultorem. Deus enim optimus maximus supplicium totum sibi reseruauit, ut peccator occasionem præbeat cum agnoscendi culpam, tum resipiscendi in hoc mundo. Hæc ille. Qua sententia nihil absurdius, nihil perniciosius, nihil à ueritate magis abhorrẽs dici potuisse censeo. Nam si peccata quæ in Deum proprie admittuntur, soli Deo punienda reseruanda sunt; libera sint igitur apud Christianos periuria, sacrilegia, blasphemiæ, neque id solum: sed rursus impune templa Diis aperiantur, fabricentur idola, sacrificia Ioui, & Saturno cæterisque dæmonibus offerantur. Et si morbi animorum solis spiritualibus pharmacis curandi sunt, nulla omnino peccata principum legibus puniantur: neque enim furta, adulteria, fraudes, corruptelæ, falsa testimonia, scelera, & flagitia cætera corporũ morbi sed animorum ægritudines, & uitia sunt. Sed longe alia est scripturarũ sanctarum, & Ecclesiæ Christi sentẽtia. Deuter. xiii. Si surrexerit, inquit dominus, in medio tui pphętes, aut qui somniũ uidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum, & euenerit quod loquutus est, & dixerit tibi: Eamus & sequamur deos alienos quos ignoras, & seruiamus eis: non audies uerba prophętæ illius, aut somniatoris: quia tentat uos Dominus Deus uester, vt palã fiat utrũ diligatis eum an non, in toto corde, & in tota anima uestra,

Dominum Deum uestrum sequimini, & ipsum timete, & mādata illius custodite, & audite uocē eius; ipsi seruietis, & ipsi adhærebitis. Propheta autē ille, aut fictor somniorū interficietur: quia loquutus est, ut uos auerteret à domino Deo uestro, qui educit uos de terra Aegypti, & redemit uos de domo seruitutis; ut errare te faceret de uia, quam tibi præcepit dominus Deus tuus: & auferes malum de medio tui. Si tibi uoluerit persuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus uel filia, siue uxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus quem diligis ut animam tuam, clam dicens. Eamus, & seruiamus diis alienis quos ignoras tu, & patres tui cunctarū in circuitu gentium quæ iuxta uel procul sunt, ab initio usq; ad finē terræ: non acquiescas ei, nec audias, neq; pareat ei oculus tuus, ut miserearis, & occultas eum: sed statim interficies. Sit primum manus tua super eum, & post te omnis populus mittat manum. Lapidibus obrutus necabitur: quia uoluit te abstrahere à domino Deo tuo, qui eduxit te de terra Aegypti, de domo seruitutis. Vt omnis Israel audiens timeat, & nequaquam ultra faciat quippiam huius rei simile. Si audieris in una urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum dicentes aliquos. Egressi sunt filii Belial de medio tui, & auerterunt habitatores urbis tuæ, atque dixerunt. Eamus & seruiamus diis alienis quos ignoratis. Quære sollicite, & diligenter rei ueritate perspecta, si

inueneris certum esse quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam; statim percuties habitatores urbis illius in ore gladii, & delebis eam, omniaque quæ in illa sunt usque ad pecora. Quicquid etiam supellectilis fuerit congregabis in medio platearum eius, & cum ipsa ciuitate succendes, ita ut uniuersa consumas domino Deo, & sic tumulus sempiternus, non edificabitur amplius, & non adhærebit de illo anathemate quidquam in manu tua, ut auertatur Dominus ab ira furoris sui, & misereatur tui, multiplicetque te, sicut iurauit patribus tuis. Quando audieris uocem domini Dei tui, custodiens omnia præcepta eius, quæ ego præcipio tibi hodie, ut facias quod placitum est in conspectu domini Dei tui. Quid hic aduersarius dicet? an morbus animi non est opinio falsa de Deo? an non est proprie peccatum in Deum, colere Deos alienos? Et quid quæso, Deus ipse de hoc morbi genere iudicauit? num solis cohortationibus, & disputationibus agi noluit? Deinde sanctissimus propheta Helias, nonne 400. falsos prophetas una die occidit? nonne idem diuino mandato Iehu, & Iosias reges fecerunt? Quid quod non solum pii prophetæ & reges, sed etiam ethnici Nabuchodonosor, & Darius seuerissimis legibus in eos, qui Deū Israel blasphemarent, animaduerti iusserunt? quos sane B. Aug. in epist. 50. ad Bonifaciū, ea in re Deo uero iustum obsequiū prębuisse scribit. Quod iam de Christianis imperatoribus

3. Regũ 19.

4. Regũ 10.

5. Dan. 3. et 6

ribus

ca.de Hære. l.Manichaeos. l.Ariani. l.Quicunq;. Paul. Diaco. li.16. & 24 de Romanis rebus. Aug. ep.166

ribus dicam? nonne leges extant Constantini, Theodosii, Valentiniani, Martiani, Iustiniani, Michaelis, aliorũq. principum regiliosissimorũ, quibus hæretici nunc pęna pecuniaria, nunc omnibus bonis, nunc exilio & uerberibus, nunc etiam morte multantur? An uero leges eiusmodi ab Ecclesia Christi probentur, dubium esse nõ potest. Nam ut omittam recẽtiora decreta, certe Nicæna synodus prima à Constãtino id petiit, & impetrauit, ut Arium hęresiarcham cum aliquot erroris eius cõsortibus in exsiliũ relegaret, ut Sozomenus testis ex lib. 1. hist. Ecclesi. cap. 20. & sanctus Leo in epist. 91. ad Turbium cap. 1. Merito inquit patres nostri, sub quorum temporibus hæresis hæc nefanda prorupit, per totũ mundum instanter egere, ut impius furor ab uniuersa Ecclesia pelleretur. Quando etiã principes mundi hanc sacrilegam amentiam ita detestati sunt, ut auctorem eius, ac plerosque discipulos legum publicarum ense prosternerent. Et profuit diu ista districtio ecclesiasticæ lenitati, quæ etsi sacerdotali contenta iudicio, cruentas refugit ultiones, seueris tamen Christianorum principum constitutionibus adiuuatur, dum ad spirituale nonnumquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium. Quod etiam uerum esse atque experimento certiss.mo comprobatum scribit Augustinus in epis. 48. ad Vincentium, ubi quamplurimos Donatistas ad ueram Ecclesiam rediisse affirmat occasione pœnarum, quæ fuerant

rant principum legibus atque edictis in hæreticos constitutę. Sed licet eiusmodi pęnæ hæreticis ipsis non multum prodessent, negari tamen non potest, quin ouili Christiano plurimum prosit, lupos illos quauis ratione procul arceri. Quocirca sanctus Gregorius etiam si pontifex esset optimus, & mitissimus, laudat tamen lib. 1. epist. 77. Gennadium exarchum Africę, quod magno zelo hæreticos bello, & armis persequeretur, atq. etiā ut in ea repergat fortiter, & fœliciter cohortatur.

CAP. XVIII.

IAM uerò, quod quarto loco aduersarius obiicit de maiorum nostrorum consuetudine, qui principes multos hæreticos passi sunt, ut Constantium, & Valentem Arianos, Anastasium Euthychianum, Heraclium Monothelitam, & si qui sunt alii, ad rem nihil facit. Neque enim Ecclesia temere, & inconsiderate potestate sua debet abuti. Porrò non raro accidit, ut tanta sit quorundam regum cum improbitate, ac sæuitia iuncta potentia, vt ecclesiastica censura neque ad eos coercendos quidquam prosit, & catholicis populis, in quos principes irritati magis sæuiunt, plurimum obsit. Quid enim, quæso, profuisset quondam Ecclesiæ si tentasset uel Ostrogothos reges in Italia, uel in Hispania Vuisegothos, aut Vvandalos in Africa excommunicare, ac de solio deturbare, quamuis id facere iure optimo potuisset? quod idem de Constantio Valente, & aliis supra nominatis intelligi debet. Siquidē

ea

ea tunc erant tēpora, ut potius ad martyriū subeundū Episcopi, quam ad principes coercendos parati esse deberēt. At ubi vidit Ecclesia suæ potestati locum aliquem aperiri, uel cum ipsorum prĩcipū spirituali utilitate, uel certe sine detrimento, & pernicie populorum: nō sibi defuit, ut exempla paulo ante allata demonstrant. Sic enim Ecclesia Leonem Isaurū imperii parte, & Henricū quartum toto imperio, & Childericum regno Franciæ spoliandos esse iudicauit, vt re ipsa deinceps & Leo parte imperii, & Hēricus imperio toto, & Childericus Franciæ regno caruerit. Itaq; veteres illos imperatores, Constantiū Valentem, & cęteros non ideo tolerauit Ecclesia (vt aduersarius somniat) quod legitime in imperiū successissent: alioqui enim Leonē etiam, Henricum, & Childericū, qui nō minus legitime successerāt, pertulisset; sed quod illos sine populi detrimento coercere non poterat, istos poterat.

CAP. XIX.

PERVENIMVS tandem ad quintum & postremum, idemque potissimū totius cōtrouersiæ caput, vbi illa quæstio breuiter explicanda est, an ad Rom. Pontificē spectet, si iusta caussa postulet Christiãos principes regnis atq; imperiis apostolica auctoritate priuare. In qua quæstiōe aduersarius totū caput siue numerū 19. secūdæ partis apologiæ consumpsit. Ac vt ordine rem totam explanemus, adferemus primum præcipuam ac

solidi

solidissimam rationem, qua rei ueritas comprobetur: deinde ea omnia diluemus, quę contra excogitare atque obiicere potuit aduersarius. Quod igitur ad primum attinet, pendet hęc res tota ex duabus sententiis, altera Romanum Pontificē totius Ecclesię, id est omnium Christianorum patrē, & pastorem esse; altera summū Ecclesię totius pastorem ita non modo priuatis hominibus, sed etiam Regibus & Imperatoribus Christianis pręesse, ut si caussa Christi, & Ecclesię id exigat, possit eos regnis imperiisque exuere. Nam si hæ duæ sententiæ ueræ sint, nemo est qui non uideat id continuo sequi, ut Rom. Pontifex iure suo utatur, cum principes Christianos, si id caussa postulet, regnis atque imperiis priuat. Priorem sententiam aduersarius numquam negasset, si uere se (quod mendaciter fecit) catholicum prædicasset iuris utriusque doctorem. Quid enim sæpius, & leges & canones repetunt, quam unum esse Rom. Pontificem totius Ecclesiæ caput? Sed non uno in loco, in hac sua apologia aduersarius negat ius ullum esse Rom. Pontifici in Episcopos, aut Principes Gallos. Sic enim ait pag. 93. Cum nulla sit pontifici iurisdictio, aut cognitio Episcopos Galliæ, &c. & pag. 156. Ex iure, & auctoritare, & dignitate maiestatis Regis nostri, qui alium quam Deum non agnoscit in regno suo, Pontifici aut Episcopo non licet excommunicare ciuitates, aut corpora subiecta Francorum regno. & pag. 157. Nam pontifici nullam esse

potesta-

potestatem in subditos huius regni,&c.Nos igitur ut huius pseudocatholici incredibilem temeritatem,qui regem Christianissimum,& uniuersum eius regnum schismaticum, & hæreticum facere nititur, tribus certissimis testibus conuincamus,primo Christum ipsum, deinde acta ueterum Pontificum,deniq. regnum Francorum, & ipsius Gallici senatus testimonium proferemus. Christus cum ait ad Petrum, pasce oues meas, Ioan.21. non opinor, Francos excepit. Quare si Franci oues Christi sunt, à Petro pascendi sunt, Quod si Franci Petrũ diuino iure pastorẽ habent, id iuris habet Petrus in Francos, quod pastor in oues,ut eos uidelicet,& ad bona pascua cogere, & à noxiis arcere non solum uoce, sed etiam baculo pro imperio possit. Porrò pastorem Petrum in successore suo uiuere, eumque Romanum esse Põtificem semper Ecclesia catholica credidit, ac ut alia innumerabilia testimonia prætermittã, & solum pauca, quędam Francorũ doctorum primę,mediæ,& ultimæ ætatis pro cęteris omnibus sententias adferam. Sanctus Irenæus martyr, & Episcopus Lugdunensis,qui prima ętate Ecclesię floruit,in tertio lib.contra hęreses,tertio cap.primum Rom.Ecclesię episcopum Apostolum Petrum scribit fuisse, Petro autẽ Linũ, Anacletum, Clementẽ, & alios ordine successisse: atque ob eandem caussam ad Rom. Ecclesiam omnem reliquam Ecclesiam, ut ad matrem & magistram conuenire oportere, his uerbis tradit. Ad hanc

Eccle-

Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndique fideles. Sanctus Prosper Aquitanicus, uir doctissimus, & qui media ætate Ecclesiæ uixit, in 2. lib. de uocatione Gentium cap.6 Roma, inquit, propter sacerdotii principatum amplior facta est arce religionis, quam solio potestatis. Et in lib. de Ingratis,

Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non possidet armis
Relligione tenet.

S.Bernardus Francus, siquis alius optimus, & clarissimus, qui ad ultimam Ecclesiæ ætatem pertinere uidetur, in 2. lib. de Consideratione, his uerbis alloquitur Eugenum, Age indagemus adhuc diligentius qui sis, quam geras uidelicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? sacerdos magnus, summus Pontifex, tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt. Sunt quidem & alii cæli ianitores, gregumque pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto, & differentius utrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi uniuersi crediti, uni vnus. Nec modo ouium, sed & pastorum tu unus

omnium

omnium paſtor. Hæc ſanctus Bernardus. Cui venerabilē Hugonem de ſancto Victore æque Frācum, & eruditiſſimum, & ipſi Bernardo amiciſſimum adiungere placet. Sic igitur ille lib. 1. de Offic. eccleſiaſticis cap. 43. Papa dicitur, quia pater patrum Hic vniuerſalis dicitur, quia vniuerſę præeſt Eccleſiæ. Hic quoq; apoſtolicus vocatur, quia principis Apoſtolorum vice fungitur. Hic etiam ſummus Pontifex nuncupatur, quia caput eſt omnium epiſcoporum. Ab his quattuor Francis doctoribus non diſſentiunt credo, qui in Francorum regno catholici dici cupiunt, neque dubium eſſe poteſt., quin reges Francorum Chriſtianiſſimi, verborum Chriſti interpretationē libentius ab Irenæo, Proſpero, Bernardo, & Hugone, quam ab impoſtore apologetico diſcere volent. Sed iam ad acta veterū accedamus & videamus, num antiquis tēporibus Romanus Epiſcopus aliquid iuris ī Frācos habuerit. Sanctus Cyprianus in epiſt. 13. lib. 3. ad Papam Stephanū ſcribit in hæc uerba. Dirigantur in prouinciā, & ad plebem Arelato cōſiſtentem à te litteræ, quibus abſtento Marciano alius in locum eius ſubſtituatur. Vbi Rom. Pontificē Cyprianus nō admoneret, ut Marcianū epiſcopum Arelatēſem multorū criminum reum ab epiſcopatu deponeret, niſi hæc eo tempore fuiſſet in eccleſia conſuetudo, ut iudicia Epiſcoporum, etiam Gallorum ad Rom. Pontificem pertinerent. Sanctus Leo in epiſt. 89. ad Epiſcopos Galliæ, Nobiſcum,

biscum, iniquit, uestra fraternitas recognoscat, apostolicam sedem à uestræ etiam prouinciæ sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, & pro diuersarum appellatione caussarum aut retracta, aut confirmata fuisse iudicia. Hęc ille. Si nihil iuris apostolica sedes habet in Gallos, cur ad eam ex Gallia prouocatur? cur ab ea nonnumquam Gallorum iudicia retractatur? sanctus Gregorius libr. 4. epi. 52. ad uniuersos Galliarum episcopos scribit, se uices suas per Galliam Virgilio Arelatensi episcopo commisisse; ac simul imperat, ut caussæ grauiores ad sedis apostolicæ iudiciū referantur, quatenus (inquit) à nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari. Non igitur dubitari potest, quin eo tépore Galli Rom. Pontificem iudicem suum ac pastorem supremum agnoscerent. Zacharias papa, de quo paulo post plenius differemus, cum Childericum regem amoueri, & Pipinum in eius locum regem fieri iussit, certe ius aliquod in Gallias habuit. Pari ratione Nicolaus primus cū Lothariū Francorum regem, & concubinam eius Valdradam, ac simul archiepiscopos Treuerensem, & Coloniensem palam excommunicauit, ut Rhegino lib. 2. Chronici, Otho Frisingēsis libr. 6. hist. cap. 3. & Sigebertus in Chronico scribunt, plane se ius maximum in Gallos habere ostendit. De Gregorio iiii. Pontifice ita scribit Paulus Aemilius lib. 4. de rebus gestis Francorum. Lugduni cōcilium episcoporum, quos Lu

E douici

douici Imperatoris filii contraxerant, habitum, imperiumque patri abrogatum. Quod decretum mox à Gregorio Pontifice maximo rescissum est. Eodem pertinet quod scribit Marianus Scotus libro 3. Chronici: Rex (inquit) Ludouicus reginam Aquis obuiam ei uenientem, iubente Papa Gregorio, accepit. Vides hic, lector, id iuris eo tempore in Galliis Pontificem habuisse, ut & cõciliorum decreta rescinderet, & imperium, atque uxorem Ludouico à filiis ademptã, suo iussu continuo restitueret. Hadrianus ii. Pontifex maximus cum accepisset imperium Ludouici iunioris à Carolo Caluo rege armis tentari, continuo litteras ad Carolum dedit, in quibus iubebat (ut uerbis utar Aimoini lib. 4. ca. 24.) ut Imperium Ludouici nullus commoueret, nullus ad se conaretur inflectere. Quod siquis præsumeret non solum per suæ auctoritatis ministerium infirmaretur, uerumetiam uinculis anathematis obligatus, nomine Christianitatis priuatus, cum diabolo omnino locaretur. Quid quod ipse etiam aduersarius pag. 165. & 166. Philippum Augustum à Cœlestino iii. Philippum Pulchrum à Bonifacio viii. & Ludouicum xii. à Iulio ii. tres Francorum reges, à tribus Rom. Pontificibus excommunicatos fuisse cõmemorat. Quod igitur attinet ad acta Pontificum, dubitari non potest, quin ii semper in Gallias, ut in omnes alias orbis Christiani prouincias ius habuerit. Sed accedat postremo Francorum ipsorum tum regum,

tum *Principum* testimonium atq; confessio. Nã de Episcopis nihil est opus hic addere, cum nulli sint Episcopi catholici, qui summo *Pontifici* ueram obedientiam non iurent. Quare ipse etiam aduersarius pag. 187. scribit, ecclesiasticos in Gallia *Pontificiæ* monarchiæ esse subiectos. Quod tamen quam belle cohæreat cum eo quod habetur pag. 93. nullam esse *Pontifici* Rom. in Episcopos Galliarum iurisdictionem aut cognitionem, ipse uiderit. Cum primores totius Regni Francisci à Zacharia *Pontifice* petierunt, ut eius auctoritate liceret sibi regnum à Childerico in *Pipinum* transferre, ut scribunt *Paulus* Aemilius lib. ii. & historici quamplurimi, certè apertè confitebantur, quod aduersarius negat, Pontificem Rom. in omnes Christianos, & in ipsos etiam Francos habere. Alioqui enim cur non à suis Episcopis id petebant? uel cur sine *Papa* non faciebant, quod uolebant? Immo cur expectarunt, ut *Pontifex* id iuberet, ut Rhegino libro 2. & alii scribunt? Carolus Magnus idem Rex Francorum, & Imperator obedientiam suam erga Apostolicam Sedem multis, & uariis argumentis sæpe testatus est. Sed nunc unicum sufficiet testimonium. Extat priuilegium eiusdem Caroli, quod Bremensi ecclesiæ dedit, apud Albertum Krantzium lib. 1. Metropolis cap. 7. in hæc uerba. Summi *Pontificis*, & uniuersalis *Papæ* Hadriani præcepto, necnon Moguntinēsis Episcopi Lullonis, omniumque qui adfuere *Pontificum* consilio, eandem

Bremensem ecclesiam cum omnibus suis appendiciis Vvillehado probabilis vitæ corã Deo & sanctis eius cõmisimus. Carolus Caluus Francorum rex, Hadriani ii. litteris à bello in Ludouici iunioris prouincias inferendo cessare iussus moleste tulit, ut scribit Aimoinus cap. 27. lib. 4. quod regnum propagare prohiberetur : non tamen Pontificis mandatum contemnendum existimauit, sed contra potius legatum cũ litteris, & muneribus ad eum placandum misit. Sed quid opus est regnum Christianissimorũ testimonia quærere, cum in nouorum Pontificũ creatione Sixti v. factum esse constat, reges Francorum, ut omnes alii reges christiani, tota inspectante urbe, per legatos suos obedientiam nouo pontifici diferant? Sed quia passim aduersarius Parlamentum regium iactare solet, ac potissimum eam defensionem, quam Senatus Parisiensis pro libertate ecclesiæ Gallicæ Ludouico xi. obtulit rex illã ipsa defensione testimonium hoc loco adscribere placuit. In ipsa igitur præfatione sic legimus: Visum est curiæ huiusmodi querimoniarum causas simul cum idoneis quibusdam remediis hic colligere, ita ut rex in obedientia, quam uere Catholicus, & Christianissimus Rex sanctę Sedi Apostolicę debet, perpetuò maneat. & infra c. 19. Ante omnia protestatur curia se nolle sanctitati, dignitati, honori, & auctoritati Põtificis, ac sanctæ Sedis Apostolicę quidquam detrahere: quin potius om

nem

nem honorem, reuerentiam, & obedientiam, quã unusquisque pius, & fidelis summo ecclesiæ *Pa*stori debet, exhibere parata est; & si quid emendatione dignum exciderit, ecclesiæ determinationi quæ errare non potest, subiicere se non recusat. can. A recta. 24. q. 1. Hæc plane senatus regii uerba satis apertè aduersarium mendacii, & imposturæ coarguunt. Quid enim sæpius tota apologia contendit, quam ex parlamentis Gallicis demonstrare, nihil iuris esse pontifici in Galliæ regnum? At nonne ipsum est Parlamentum, quod uerbis disertis affirmat, regem Francorum, & omnes alios homines uerè fideles, & pios Romano *P*ontifici obedientiam debere? Nonne idem ipsum parlamentum eidem *P*ontifici omnem reuerentiam, & obedientiam exhibere se apertissime protestatur? Prior igitur illa sententia, quam probandam suscepimus, satis iam est à nobis Christi uerbis, patrum interpretatione, rebus gestis *P*ontificum, & Francorum confessione, ac testimoniis comprobata.

CAP. XX.

IAM uerò summum ecclesiasticæ hierarchiæ principem (quæ erat altera sententia) reges Christianos certis de caussis iurisdictione exuere posse, pro instituti opusculi breuitate, demõstrare aggrediar. Primum igitur licet potestas ecclesiastica, quæ in summo Pontifice potissimum residet, & potestas politica, quam præter cæteros principes Impe. Romanus habet, nõ modo duæ sint ac

diſtincta finibus & officiis. ſed etiam ſeparatæ interdum inueniantur (nam aliquãdo eccleſia nul los habuit politicos principes, & nũc etiam multi ſunt Principes, ac reges extra eccleſiã) tamen quando principes ſunt Chriſtiani, & in eccleſiæ catholicæ mẽbris ac filiis numerantur, duæ illæ poteſtates ita cõiunguntur, ac cõueniunt inter ſe, vt vnã rempub. vnum regnum, unam familiam, immo & vnũ corpus efficiant; Vnum enim, ut Apoſtolus ait Rom. 12. ſumus corpus in Chriſto: ſinguli autem alter alterius membra. In hoc autẽ corpore myſtico eccleſiæ, poteſtas eccleſiaſtica ueluti animus quidem eſt; politica autem veluti corpus, vt ſanctus Greg. Nazianz. docet in oratione ad populũ timore perculſum, & imperatorem iraſcentem. Neque in cõtrouerſiam id reuocari poteſt, cum conſtet eccleſiaſticam poteſtatẽ ſpiritualem ac cæleſtem eſſe; politicam vero humanam ac terrenã: & rurſus illius finis æterna beatitudo ſit, huius autem pax, & trãquillitas temporalis: illa animos & corda potiſſimum regat; iſta in corporibus vim ſuam habeat: illa legibus diuinis & cæleſtibus oraculis; iſta iure ciuili ac gentium nitatur: illa denique auctorem immediatum Deum habeat, iſta per ius gentium & conſenſum populorum ad principes deriuetur. Igitur quemadmodum diſtincta ſunt animi & carnis munera, & ſeparata etiam inueniuntur in angelis qui corpore vacant, & belluis, quæ rationis ſunt expertes: & tamen

in ho-

in homine, quia vnam hypostasim efficiunt, ita conueniunt & coniuguntur, ut animus præsit, caro subiiciatur, & possit animus iure suo carnem ieiuniis, uigiliis, aliisque laboribus coercere, ne impediat munera spiritus, vel etiam si opus sit, ad finem ipsius spiritus consequendum possit spiritus carni imperare, ut se ac sua exponat omnia, etiam cum detrimento uitæ, ut sanctos martyres facere uidemus: pari ratione in Ecclesia Christi, si uere nunc corpus sit, tantum esse oportet coniunctionem, ecclesiasticæ, ac politicæ potestatis, tantumque inter eos ordinem, & unius ad alterá subiectionem, ut in iis quæ ac æternam salutem adipiscendam pertinent, ecclesiastica potestas, politicam dirigat, eique imperet, & si opus sit, cohibeat, & coerceat, ne adeptionem proprii finis impediat, etiá cum detrimento propriæ potestatis, ut eo modo iuxta. B. Greg. sententiam lib. 2. epist. 61. terrestre regnum cælesti regno famuletur. Quæ cum ita sint, nullam profecto iniuriam facit summo Principi politico, Princeps summus ecclesiasticus, si eum admoneat, illique imperet, ut politica sua potestate recte utatur, legibus, & pœnis impios, ac blasphemos coerceat, fidem catholicam protegat, aduersus infideles ecclesiam oppugnanter arma suscipiat.

Quis si is aut ex oue lupus euadat, & hæreticos ac sectarios sequens, fidem catholicam destruat: aut uelut aries furiosus, contempto *Pastore*, in oues sibi subiectas grassetur, aut certe

instar languidi, ac timidi canis propter ignauiã ac segnitiem gregem Domini à luporũ morsibus defendere non audeat: cur quæso non poterit summus Pastor, & qui Christi ipsius vices in terris gerit: lupum illum ab ouili arcere, atque ouibus imperare, ne illum vltra sequantur; & arietẽ furiosum recludere ac prohibere, ne gregem deinceps ducat? Ac denique imbecillo cani valẽtiorem asium substituere, qui gregem, vt oportet, custodiat ac defendat? Ergo hac potestate Ioiada pontifex Athaliam reginam, tyranidem in populo exercentem a regno amouit, & Ioas regem constituit: vt legimus lib. 4. reg. cap. 11. & lib. 2. paralipom. cap. 23. Hac potestate Gregorius papa ii. Leonẽ imperatorem iconoclastarum hæresi studendam, atque eam in Italiam inducere molientem non solum excommunicauit; sed etiam vectigalibus Italiæ prohibuit; vt Cedrenus, & Zonaras in eiusdẽ Leonis vita scriptum reliquerunt. Hac potestate Pontifex Zacharias Hilderici regnum, quod eius socordia catholica religio in Gallis non modicum detrimentum pateretur, in Pipinum & filios eius transtulit, vt infra multis testimoniis demonstrabimus. Hac potestate Leo iii. Pontifex regem Nordam Humbrorum regno suo inique pulsum, atque ad se tamquam ad omnium Christianorum caput & principem confugientem, per lagatos suos in regnum restituit, vt Aimoinus scribit lib. 4. de rebus gestis Francorum cap. 96. & Rhegino lib. 2. Chronici,

nici, anno 808. Hac denique idem Leo Romanum imperium à Gręcis ad Francos transtulit, quod iam longo vsu didicisset, Græcos aut non posse, aut nolle laboranti ecclesiæ opem ferre. Ac tum maxime id metuendum videretur, cum Imperatore Constantino fraude suorum excæcato femina, quod antea numquam acciderat, Rom. imperio præsideret.

CAP. XXI.

RESTAT nunc solum, vt obiecta paucis diluamus. Ac primũ à pag. 132. vsque ad pag. 137. nõ tam argumẽta pro se aduersarius profert, quã verba quædam aut facta pontificum repræhẽdit. Sed tot sunt in ea reprehensione mẽdacia, pœne quot uerba. *P*rimũ reprehendit uerba *P*aschalis, qui cap. *S*ignificasti, de Elect. scribit, cõcilia nullas ecclesiæ Rom. leges præscribere, cũ ab eo potius firmitatem ac robur accipiat. Hãc Paschalis sententiam, uelut hæreticã (iniquit aduersarius) cõcilia generalia Cõstãtiense, & Basileense damnauerunt, præsentibus Ioan. 23. & Eugenio 4. *P*õtificib. Hic tria mendacia sunt. *P*rimũ damnasse cõcilium Constantiẽse sententiam illam de potestate Papæ supra cõcilium præsente Ioanne 23. cõstat enim Ioãnem prædictum ex cõcilio recessisse ante sessionẽ tertiam: sententiam autem illam damnatam sess. 4. cum in cõcilio neque *P*ontifex ipse, neque vllus eius legatus adesset. Alterum mendacium est, à concilio Basiliensi sententiam eandem, vt hæreticam Eugen. 4.

præ-

præsente damnatam; cum Eugenius ad Basileen se concilium nunquam accesserit, & sess. 33. cum ea sentētia proprie, ut hæretica dānabatur non modo Pontifex, sed Legatus etiam eius abes set. Tertium est mendacium, sententiam illam Paschalis de potestate Papæ supra concilia dam natam ut hæreticam à concilio Constantiensi. Id enim concilium non absolute rem definiuit, sed solum in casu schismatis. Verissimum est au tem, Pontifices tempore schimatis, cum dubium est, quis nam sit uerus, ac legitimus Pontifex, con cilio generali subesse, quocirca Basiliense conci- lium postea rem absolute, & ut ueritatem catoli- cam definire uoluit, ut patet ex 33. sess. concilii eiusdem. Sed ne aduersarius ob huius concilii decretum nimium sibi placeat: illud omitti non debet, decretum factum fuisse à concilio (ut mo- destissime dicam) acephalo? proinde nullā omni no apud catholicos auctoritatē mereri. Est enim regula notissima & antiquissima, nulla cōcilia sine Romani Pōtificis auctoritate rata esse posse: alioqui enim si solus numerus Episcoporū con- cilium legitimum facere: quid caussæ esset, cur Ariminense concilium Episcoporum sexcento- rum, catholici omnes repudiarent, quia Roma- nus Pontifex Damasus id concilium improba- uit: concilium autem Constantinopolitanū epi- scoporum centumquinquaginta catholici om- nes uenerantur, quia id concilium idem Da- masus approbauit? Vide multa de hac re, quæ breuita-

Iulius 1 me- nist. ad orien- tales.

Socr. l. 2. c. 15.

Sozo. l. 3. c. 9.

breuitatis caussa prætermittimus, in epistola Nicolai, ad Michaelem Imperatorem, & in epistola Gelasii primi, quæ inscribitur, de uinculo anathematis. Adde præterea, decretum illud Basileensis concilii, non solum in Florentino, & Lateranẽsi conciliis postea improbatum, sed etiam ab ipso Basileensi Lausanæ continuato, tempore Nicolai quinti Pontificis abrogatum, quando & Amedeus cõcilii Basileensis auctoritate Pontifex creatus, Pontificatu non rite adepto, rite se abdicauit. Adde postremo, nihil omnino hanc disputationem de comparatione potestatis Papæ, & conciliorum ad iuuandam caussam aduersarii pertinere. Siquidem illi ipsi qui Romanum Pontificem uniuersali concilio subiiciebant, iidem eum fidelibus omnibus etiam regibus & imperatoribus, cum summa potestate, ut uerum Christi Vicarium, summumque totius Ecclesiæ Pastorem præesse uolebant. Deinde reprehendit apologiæ auctor, ac mendacii, arguere uititur canonẽ, Alius. 15. q. 6. ubi legimus regẽ Francorũ ultimum ex familia Merouingorum à Zacharia Põtifice exauthoratũ. Ex ueritate (inquit) est Pontificem consilium nobilitati Francæ dedisse, non autem mandatum, ut optime scribit Gulielm. Ocham in libr. de potestate Ecclesiæ. At hoc ipsum esse mendacium manifestum, & à Zacharia mandatum plane datum, testantur omnes historici ueteres, quibus magis credendum est, quam uni Ochamo; qui recentior

Nicolaus in appẽdice ad concilium Basileense.

Io. Gerson, Petrus ab Alliaco, & Iacob. Alman. in tra-ctatib. de potestate ecclesia.

est,& odio pontificis multa confinxit. Annales Francorum uetustissimi sic habent, Data auctoritate sua, Zacharias iussit Pipinum regem constitui. Et infra. Secũdum Romani pontificis sanctionem, Pipinus rex appellatus est. Eginardus in vita Caroli Magni, Pipinus (inquit) per auctoritatẽ Rom. Pont. ex Pręfecto palatii rex constitutus est. Aimonius lib. 4. de gestis Fancorum cap. 61. Pontifex, inquit, data auctoritate sua iussit Pipinum regem institui. Rhegino lib. ii. Chronici, Zacharias (inquit) per auctoritatem apostolicam iussit Pipinum regem creari, & sanctæ vnctionis oleo inungi. Lambertus Schafnaburgensis in historia Germanica, Pipinus, inquit, decreto Zachariæ papæ per vnctionem sancti Bonifacii rex appellatus est. Segebertus ĩ Chronico, Anno, inquit. 750. Pipinus princeps auctoritate apostolica, & Frãcorum electione à sancto Bonifacio in regem vngitur, & cõsecratur. Anno 752. iterum inungitur in regem à Stephano papa. Hermãnus Contractus in Chronico, Anno (inquit) 752. Pipinus auctoritate Stephani Papæ, deposito ac detẽto rege Hilderico rex Frãcorum factus regnauit annis 15. Marianus Scotus lib. 3. Chronici, Zacharia (inquit) papa ex auctoritate sancti Petri Apostoli mãdat populo Francorum, vt Pipinus, qui potestate regia vtebatur, etiam nominis dignitate frueretur. Ita Hildericus rex, qui vltimus Merouingorum Francis imperabat, depositus & in monasterium missus est. Corradus abbas

Vrsper

Vrſpergenſis in Chronico, Anno (inquit) 750. Pipinus per auctoritatē Zachariæ papæ more Frā corum electus ad regnum per manus ſancti Bonifacii eleuatus eſt in regni ſolium. & infra. Stephanus Papa Pipinum ſacra unctione in regię dignitatis honore confirmauit. Otho Fringenſis li. 5.hiſt.c.22.Auctoritate (inquit) Zachariæ Papæ Pipinus ad regnum eligitur. Alb. Krantzius lib. 1. Metropolis cap. 14. Merito (inquit) ſummus Pontif.& Gallorum rex mutuis ſe attollunt fauoribus,quando ab initio hæc ſedes domui Caroli hoc præſtitit,ut regiam haberet dignitatem.

Tertio reprehendit Nicolai tertii pontificis uerba, quæ habentur cap.Fundamentum, Elect. in 6.Declarauit (inquit) ſanctæ ſedis eſſe iuriſdictionem urbis,cæteris omnibus excluſis, non ex donatione Conſtantini,ſed ex his uerbis, in omnem terram exiuit ſonus eorum,& aliis, quæ interpretatur iudicio ſuo. Quis credat iureconſultum catholicum, qualem ſe iſte iactat, adeò uel imperitum, uel improbum fuiſſe, ut canones quos profitetur, aut non legerit, aut manifeſto mendacio deprauare uoluerit? Nam illa uerba, in omnem terram exiuit ſonus eorum, non adducuntur à Nicolao, ad probandum iuriſdictionem urbis ad Pontificem pertinere: ſed ad hoc tantum, ut intelligamus Apoſtolorum prædicationem generalem fuiſſe, ſed in eo munere Euangelii prædicandi præcipuas partes ſancto Petro Apoſtolorum principi demandatas. Quam to-

tam

tam disputationem ad uerbum Nicolaus descripsit ex epist. 89. sancti Leonis ad Episcopos per Viennensem prouinciam constitutos. Quare aduersarius cum locum illum, in omnem terram exiuit sonus eorum, perperam à Nicolao exponi contendit, non tam Nicolaum, quam sanctũ Leonem Põtificem doctissimum, & optimum reprehendit. Quod autem ad Constantini donationem pertinet, mentitur aduersarius apertissimè. Hæc enim sunt uerba Nicolai in illo ipso capite, in quo negat aduersarius Pontificem niti donatione Constantini. Quarto die sui baptismatis Constantinus unacum omnibus Satrapis, & uniuerso Senatu, optimatibus etiam, & cuncto populo in persona B. Siluestri, sibi Romanam concedendo vrbem, relinquens, ab eo & successoribus eius per pragmaticum constitutum disponendam esse, decernens in ipsa vrbe utriusque potestatis monarchiam Romanis Pontificibus declarauit, &c.

CAP. XXII.

SED his mendaciis prætermissis, ad argumenta seria ueniamus. Primum igitur pag. 137. testimonium contra nos adfertur ex Innocentio tertio, qui cap. Nouit. de Iudic. scribit, inquit aduersarius, contra supremam maiestatem Regis Francorum, nolle quidquam aggredi. & cap. Per venerabilem, Qui fil. sint legit. fatetur, neminem superiorem à Rege Francorum agnosci in temporalibus & regni sui administratione. Sed falsum est in primis, quod in argu-

mento

mento assumitur, Innocentium affirmasse, nolle se quidquam aggredi contra supremam Maiestatem Regis Francorum. Neque enim usquam id in tota illa epistola inuenitur: sed hoc solum, nolle se Regis iurisdictionem perturbare, uel imminuere: & Regem in suo regno supremum esse dominum temporalem. Quæ duo ex iis, quæ cap. 20. diximus, facilè possunt intelligi. Rectè enim Pontifex docet regem Francorum superiorem in temporalibus non agnoscere, quia uidelicet nullus est Princeps temporalis siue is Rex, siue Imperator sit, cui Rex Francorum subiiciatur: superiorem autem spiritualem id est Pontificē Maximum regibus omnibus, & ipsi etiam regi Francorum ita præesse, ut directè quidem spirituales caussas iudicet, consequenter autem temporalia administret, quatenus uel cursum spiritualium rerum impediunt, uel ad eum promouendum necessaria sunt, non modo Pontifex in iis locis non negat, sed è contrario tum ipse, tum alii, & uerbis, & rebus gestis frequentissime docuerunt. Ac ut non longius eamus, nonne in illo ipso cap. Nouit, Iudicem se Papa esse affirmat inter Francum, & Anglum reges? Nonne legato suo imperat, ut nisi Rex Francorum, uel solidam pacem cum Anglorum Rege reformet, uel treguas ineat competentes, in eum iuxta formam sibi datam procedere non omittat? Nonne epistolam suam ad Prælatos Franciæ in hæc verba concludit, Ideoque uniuersis uobis per Apostolicam

sedem

ſedem mandamus,& in uirtute obedientiæ præcipimus, quatenus poſtquam idem Abbas ſuper hoc mãdatum fuerit Apoſtolicum exequutus,ſententiam eius,im mo noſtram uerius, recipiatis humiliter, & faciatis ab aliis obſeruari, pro certo ſcituri, Quod ſi ſecus egeritis, inobedientiam ueſtram grauiter puniemus.Non igitur uerum eſt, quod in argumento aſſumpſit aduerſarius,Papam Innocentium ſcripſiſſe, nolle ſe contra maieſtatem Regis Francorum quidquam tentare.Id enim non ſolum in epiſtola illa non inuenitur,ſed toti potius epiſtolæ illi repugnat.Ac multo minus eſt uerum, quod ſupra non ſemel aduerſarius affirmauit, nullam eſſe Rom.Pontifici in Epiſcopos,aut Principes Gallos iuriſdictionem,ſiue cognitionem.Iam enim ex epiſtola, quam pro ſe aduerſarius protulit, omnino contrarium audiuimus.

CAP. XXIII.

SECVNDO obiicit apologia extrauagantem Clementis v.quæ incipit, Meruit,de priuil. Clemens,inquit, pacaturus Regem Philippum pulchrum,quem prouocauerat Bonifacii viii. inſolentia, irritam fecit atq; reuocauit declaratione̅ illius in regnum Francorum,probauitq; ea conſtitutione hoc Regnũ ſedi ſuæ ſubiectum nõ eſſe.Hæc ille.At nonne hoc eſt manifeſte mentiri, & impoſturis,non argumentis agere? Vbi.n. eſt in tota illa extrauagante irritationis,aut reuocationis mentio? Vbi eſt probatio, quod Regnum

Fran-

Francorum ea constitutione apostolicæ sedi subiectũ non sit?Sed uerba ipsa Clementis audiamus.Nos,inquit,regi & regno per definitionẽ,& declarationẽ bo.me.Bonifacii Papæ viii. prædecessoris nostri,quæ incipit, Vnam sanctam.Nullum uolumus., uel intendimus preiudicium generari.Nec quod per illam rex, regnum,& regnicolæ prælibati amplius ecclesiæ sint subiecti Romanæ,quã antea exsistebant:sed intelligantur in eodem esse statu, quo erant ante definitionẽ præfatam ,tam quantum ad Ecclesiá,quam etiam ad regem,regnum & regnicolas superius nominatos.Hic certè Clemens Pontifex verissime docet, ex Bonifacii declaratione nullum regi Francorũ præiudicium generari,neque ob eam declaratio nem amplius eum Apostolicæ sedi iam esse subiectum , quam ante illam declarationem esset , siquidem Bonifacius neque de rege Frãcorum , aut ullo alio certo principe in ea constitutione loquitur.Neque noui aliquid statuit,sed Euangelica uerba , fidemque catholicam de unitate Ecclesiæ prædicat & declarat . Proinde nõ amplius ille sedi suæ Christianos principes, aut populos subiicit,quam antea diuino iure subiecti essent. Sed quia nonnulli ob ea, quæ inter Bonifacium Pontificem , & Philippum regem diffidia intercesserant , Bonifacii constitutionem sinistra interpretatione præiudicialem regno Francorum uideri uolebant : Clemens Pontifex prudenti consilio admonuit atque explicuit , ex

ea constitutione, quæ simplicem continebat ant i quare fidei confessionem, & declarationem nullũ Regi, aut regno Francorum præiudicium generi. Cur autem Bonifacii constititutionẽ insolentem iudicet aduersarius, non satis percipio: nã vnam esse ecclesiam, quod est primum & præcipuum constitutionis illius caput, ex scripturis depromptũ, in symbolo Constantinopolitano habemus. Vnius ecclesiæ vnum esse debere Rectorem, quod in eadem constitutione Bonifacius ponit, vnitas ipsa corporis, ædificii, nauis, ouilis, sponsæ denique Christi, quæ sunt omnia Ecclesiæ catholicæ nomina, satis aperte docet. Rectorem illum vnum apostolum Petrum, & successores eius intelligendos esse, quod tertio loco in ea constitutione ponitur, ex euangelio discimus, vt etiã nos supra breuiter indicauimus. Omnes omnino homines etiam si reges, atq; Imperatores sint, Pontifici Rom. subesse debere, idque illis esse necessarium ad salutem, quod est in eo constitutione extremum, eo certissimo fundamento nititur, quod omnes omnino homines, qui salui esse cupiunt, ad oues Christi adiungi debent, omnes autem suas oues Petro Pastori eiusque successoribus Christus subiecit. Quod autẽ in ea cõstitutione inseritur de duobus gladiis qui sunt in Ecclesia, pæne ad uerbum ex libr. sancti Bernardi desumptum est. Quocirca nemo potest Bonifacii constitutionem, vt insolentem traducere, quin idem ipsum statuat de Bernardi sententia,

tia,

tia, quam tamẽ modestissimam, & verissimã esse omnes iudicant. Hæc autem sunt verba sancti Bernardi in libro quarto de consideratione ad Eugenium papam, quæ Bonifacius imitatus est. Quid tu denuo usurpare gladium tentes, quem semel iussus es ponere in uaginam? Quem tamen qui tuum negat, non satis mihi uidetur attendere uerbum Domini dicentis sic, Conuerte gladium tuum in uaginam. Tuus ergo, & ipse, tuo forsitan nutu, & si nõ tua manu euaginãdus. Alioqui si nullo modo ad te pertinet & is, dicentibus Apostolis, ecce duo gladii hic nõ respõdisset dominus, satis est: sed, nimis est. Vterque ergo Ecclesię & spiritualis scilicet gladius, & materialis: sed is quidem pro Ecclesia, ille vero & ab Ecclesia exerẽdus. Ille sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum sacerdotis, & iussum Imperatoris.

CAP. XXIIII.

TERTIO obiicit aduersarius cognitionẽ criminis hæreseos, & iurisdictionẽ in Hæreticos semper fuisse permissam politico magistratui, atque ad eum, nõ ad sacerdotes, iure optimo pertinere. Id vero probat hac ratiõe, quã uerbis eius adscribã, ne forte omissum aliquid à nobis fuisse „
queratur. Etenim (inquit) legem Dei cõsiderari „
necesse est, primũ quidẽ in hoc sæculo, vbi co- „
guntur omnes magistratui politico, & tẽporali „
obsequi, humanæ societatis, & politia terrestris „
iuridici: ad confusiones & rixas auertendas: „

 secundo

« secundo autem in altero, ubi Deus solus iudicat
« & punit,& eius respectu neminem magistratum
« huic mundo dedit,qui iniuriam ipsi factam per
« transgressionem mandatorum ipsius ulciscar,
« nam sacerdotes, custodes, & pædagogi diuinæ
« legis,non sunt iudices dati, sed tamquam lenes
« animorũ medici,& mãdata Dei nõ sunt sanctio-
« nes supplicia imperantes, sed amicissima docu-
« menta, monitaque:alioqui si gladio cogeremur
« ad obseruationem diuinæ legis,meritũ nostrum
« foret perexiguum. Hæc ille, qui deinde attexit
« quædam scripturæ, & patrum testimonia, quæ
suo loco discutiemus. Porrò quã tetros errores, quæue monstra in religione Christiana hæc obiectio pariat, nemo(credo)tam expers iudicii erit,qui non uideat, ut iam apologiæ auctor non hæreticus solum, sed etiam nouus hæresiarcha dicẽdus esse uideatur, nisi forte qui hæc scripsit, ut sanctus Hieronymus de Iouiniano,& Vigilantio loquitur, morbo phrenetico sit arreptus, & Hippocratis uinculis alligandus. Sed ad singula breuiter respõdeamus. Quod igitur attinet ad cognitionẽ de crimine hæresis; spectat quidem ad politicum magistratum,in hæreticos ab ecclesia iudicatos,& damnatos seuere animaduertere;& iudicare sitne aliquis hæreticus, an non, qui ad politicum magistratum, & non potius ad ecclesiasticum existimat pertinere, eum nihil omnino in rebus ecclesiasticis legisse, nihil scire necesse est. Nota est illa S.Athanasi uox

in epist.ad solitariam uitam agentes, de imperatore Constantino, qui in caussa fidei iudicium sibi arrogare nitebatur. Quando à condito æuo auditum est, quod iudicium Ecclesiæ auctoritaté suam ab Imperatore accepit? Aut quando umquá hoc pro iudicio agnitum est? Plurimę antea synodi fuere; multa iudicia Ecclesiæ habita sunt; sed neq; Patres istiusmodi res principi persuadere conati sunt, nec principes se in rebus ecclesiasticis curiosum præbuit. & infra. Quis uidens eum in decernédo principé se facere Episcoporũ, & præsidere iudiciis ecclesiasticis, non meritò dicat, eum illam ipsam abominationé desolationis esse, quæ à Daniele prædicta est? Neque dissimile est quod sanctum Martinum Imperatori Maximo de hęresi Priscilliani cognoscere uoléti palam dixisse scribit, Sulpitius in 2. lib. sacræ historię, nouum & inauditum esse nefas, quod caussam Ecclesię iudex sęculi iudicaret. Quibus accedat testis tertius sanctus Ambrosius, ut in ore duorũ uel trium testium stet omne uerbũ: sic igitur ille in epist. 32. ad Valentinianũ iunioré. At certè si uel scripturarum serię diuinarum, uel uetera tempora retractemus, quis abnuat in caussa fidei, in caussa, inquam, fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non imperatores de Episcopis iudicare? Eris Deo fauente etiam senectutis maturitate prouectior, & tunc de hoc censebis, qualis Episcopus sit, qui laicis ius sacerdotale substernit. Pater tuus uir ma-

turioris æui dicebat, nõ est meum iudicare inter Episcopos. Tua nunc dicit clementia: ego debeo iudicare. & infra. Si cõferendũ de fide, sacerdotum debet esse ista collatio, sicut factum est sub Constantino, augustæ memoriæ principe, qui nullas leges ante præmisit, sed liberum dedit iudicium sacerdotibus. Conferamus si placet, verba apologetici nostri cum verbis horum trium sapiẽtissimorũ patrũ. Ille ait, cognitiõnẽ de hæresi semper fuisse permissam politico magistratui, atque ad eum iure optimo pertinere. Isti cõtra constanter affirmant, à condito æuo numquam id esse permissum; nefas esse inauditũ, & nouum: scripturarum auctoritati, & omnium temporũ consuetudini repugnare. Quis iam dubitet magis fidem habendã esse tantis, ac talibus ecclesiæ columnis, quam vni nescio cui, qui plane nescit, neque quid loquatur, neque de quibus affirmet? Sed iam rationẽ eius excutiamus. Assumit legem Dei, vt mundi huius pacem, & tranquillitatẽ respicit, siquis transgrediantur, eũ à politico magistratu puniẽdum esse: eamdem legem, vt diuinũ honorem, & amicitiam cum Deo nõ violandam præcipit, siquis nõ seruet, eũ à solo Deo in futuro sæculo iudicandum, neque vllum esse in terris magistratum, qui eiusmodi crimina cognoscere debeat. At quis non videt hoc perniciosissimum dogma cũ scripturis sanctis, cum omni iure diuino & humano, cui ipsa manifestissima ratione aduersa fronte pungnare?

re?Nonne in ueteri lege Deus blasphemos, sacrilegos, idolatra per sententiam iudicum damnari, & occidi iubebat? Nonne ipse etiam Christus flagello de funiculis facto è templo eos omnes eiecit, qui iniuriam Dei de loco orationis, locum fecerant negotiationis? Nonne pleni sunt Conciliorum, & Pontificum canones, & ipsæ etiam leges Imperatorum suppliciis, ac pœnis in eos, qui in Deum verbo, aut factis sacrilegi sunt? Quis (inquit Augustinus in epist. 50. ad Bonifacium) mente sobrius regibus dicat, nolite curare in regno uestro à quo teneatur, uel oppugnetur Ecclesia Domini uestri? Non ad uos pertineat in regno uestro, quis uelit esse religiosus, siue sacrilegus, quibus non potest dici, nō ad uos pertineat in regno uestro quis uelit esse pudicus, quis impudicus? Sed de hac re satis multa supra dicta sunt cap. 17. Quod uero aduersarius addit, Sacerdotes non esse a Deo iudices datos, sed lenes animarum medicos, repugnat in primis Apostolo, qui de se ait. Quid uultis? in uirga ueniā ad vos, an in spiritu mansuetudinis? 1. Cor. 4. Quo loco per uirgam exponit Augustinus lib. 3. contra epist. Parmeniani cap. 1. iudiciariam potestatem. Neque ab eo dissentiunt Chrysostomus, & cæteri eius loci interpretes. Idem rursus, prędico (inquit) uobis quoniam si uenero iterum non parcam. & infra. Vt non durius agā secundum potestatem, quā dedit mihi Dominus 2. Cor. 13. & alio loco. Aduersus presbyterū accusationem noli

recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus 1. Timo. 5. ubi apertissime docet Apostolus habere Pontifices sua tribunalia, & more iudicum accusatores, ac reos audire, & secundum allegata, & probata iudicium ferre. Hinc est illa uox sancti Grego. Nazian. in oratione ad populum timore perculsum, & principem irascentem. Cum uocem suscipitis liberam? Et quod lex Christi uos Principes, meæ potestati, meoque subiecit tribunali? Imperamus enim, & ipsi; addo & imperio maiori, & perfectiori. Et illa sancti Io. Chrisost. homil. 83. in Matth. ad suos Diaconos. Si Dux quispiam, si Cōsul, si ipse denique qui diademate ornatur, indigne adeat, cohibe, & coerce: maiorem tu illo habes potestatem. Quod si Episcopi, & diaconi, tantis uiris testibus, ipsos etiam reges, & Imperatores in iis, quæ ad Deum pertinent, pro potestate atque imperio coercere possunt, quanto magis id poterit Summus totius ecclesiæ Præsul, & Episcoporum omnium caput? Sed quid iam de sententia illa dicemus, quam continuo subiecit aduersarius, diuina mandata non esse sanctiones supplicia imperantes, sed amicissima documenta monitaque? An est aliquid toti scripturæ diuinæ magis repugnans? Quid enim est hoc aliud, quam apertè negare ullā esse ueri nominis legem à Deo datam? Et sine ulla culpa uiolari posse, quidquid umquam Dominus præcepit? Neque enim peccatum esse potest, ubi solum documenta & monita, non autem ueri nominis leges uiolantur.

Vbi

Vbi non eſt lex (inquit Apoſtolus Rom. 4.) nec præuaricatio. Et alius itē Apoſtolus. Omnis qui facit peccatum,& iniquitatem facit,& peccatum eſt iniquitas 1. Ioan. 3. Vbi græca uox anomìa, quam interpres reddidit iniquitatem, proprie legis pręuaricationem ſignificat, ut intelligamus, auctore Ioanne, omnem qui peccat legem præuaricari, neque ullum eſſe peccatum, ubi nulla eſt legis præuaricatio. Admittemusne igitur idololatriam, periurium, homicidium, adulteriū, furtū, falſa teſtimonia, & alia id genus, quæ Dei lege prohibentur, non eſſe peccata? An potius, quidquid ſomniet aduerſarius, Dei præcepta ueriſſimas leges, & ſanctiones eſſe ſupplicia imperantes, non autem nuda documenta monitaque eſſe fatebimur? quid? Quod in teſtamento ueteri paſſim Deus ad ſuas leges adiungit ſæuerißimas pęnas; & in nouo Christus clamat, Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu, non intrabit in regnū cœlorum; & qui dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennę ignis; & qui ſoluerit unum de mandatis iſtis minimis, minimus uocabitur in regno cęlorum; & Apoſtoli in concilio Hieroſolymitano nonne onus quoddam uerißimæ legis imponere, & non ſola documenta monitaque ſedare teſtantur, cum ita ſcribunt. Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis nihil ultra imponere uobis oneris, quam hęc neceſſaria? An non denique concilia omnia plerumque ad canones ſuos anathematis pęnam annectunt? Sed egregia eſt omnino

Io. 3.
Mat. 5.
Act. 15.

ratio,

ratio, cur leges Dei documenta, monitaque non ſanctiones ſupplicia imperantes eſſe iudicauerit aduerſarius. Alioqui enim (inquit) ſi gladio cogeremur ad obſeruarionem diuinę legis, meritū noſtrum eſſet perexiguū. Quaſi vero libertas, quę requiritur ad meritum, externæ coactioni, & nō potius internę, ac naturali neceſſitati repugnet. Cum lex aut iudex ſupplicium cōminatur, corporis membra fortaſſe poterit coercere, voluntatem non poterit. Quocirca ſemper humana voluntas, Dei adiutorio præueniente, & comitante, & legem implere velle poteſt amore iuſtitiæ, & mereri gloriam apud Deum: poteſt etiā ſponte ſua velle violare, aut certe non implere, & irā diuinā in ſe prouocare. Certe ad pleraſque Dei leges ſeruandas gladio cogimur, dicente Apoſtolo Rom. 13. ſi male egeris, time. Nō enim ſine cauſſa gladium portat, & tamē qui eas leges (vt par eſt) implent, eos vitam æternam promereri Chriſtus nō obſcure ſignificauit, cū ait, Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata, Matth. 19. Et cur denique leges pœnam ſimul, & prēmium conſtituerent, niſi merito locus eſſet in eius legis impletione, à cuius præuaricatione pœna deterret? Lex igitur, ſupplicium imperans, & iudex in peccatores armatus non meritum impedit, ſed à præuaricarione deterret.

CAP. XXV.

ADIVNGIT poſtea conſequenter aduerſarius teſtimonia ſcripturæ & patrum, qua

quorſum

quorſum pertineant, vix arbitror illum ipſum ſcire, qui propoſuit. Primum allegat illud ex Apoſtolo 2.Cor.1. Non quia dominamur fidei ueſtrę, ſed adiutores ſumus gaudii ueſtri. Fateor Apoſtolum cauſſa fidei non fuiſſe dominum Corinthiorum. Vnus eſt enim noſtrum omnium Dominus, qui nos creauit & redemit. Præpoſitum tamen, & Paſtorem fuiſſe uice Chriſti, & eius nomine leges ferre, & præuaricatores punire potuiſſe non negabit, qui legerit illud eiuſdem Apoſtoli Hebr.13. Obedite Prępoſitis ueſtris, & ſubiacete eis &c. & illud 1.Cor. 11. Laudo uos quod prę cepta mea tenetis. & 2. Corinth. 10. in promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam. Secundo adiungit illud 2.Tim.3. Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum in iuſtitia: non aũt addit aduerſarius, ad cogendũ, & puniendũ. Sed iſtam additionem negantem non ex Apoſtolo, ſed ex cerebro ſuo male ſano deprompſit. Poſſe enim Paſtores ſecundum ſcripturas cogere oues ad bona paſcua, & à noxiis prohibere, & detrectantes punire, nonne apertiſſime idem Apoſtolus docuit, cum ait, quid uultis? in uirga ueniam ad uos 1.Cor.4. &, ut non durius agam, ſecundũ poteſtatem, quã dedit mihi Dominus 2.Cor.10. & quod paulo ante citauimus, in promptu habentes ulciſci omnẽ inobedientiã 2. Cor. 10. Tertio profert Chryſ. teſtimoniũ, qui in dialogis de ſacerdotio ſeparat regalem potentiam ab Euangelico miniſterio

nisterio dicens, ministerium esse munus cōmissum à Deo, vt sine armis doceatur homo, non autem esse potestatem dandi, aut adimendi regna, aut sciscendi leges ad reip.administrationē. Sed Chrysostomus eo loco, non negat posse summum Pontificem, si caussa id postulet, regna dare aut adimere: sed solum disputat de difficultate, quam episcopi in ouibus suis curādis patiuntur, ac dicit, Pastores ouium irrationalium, quibus corporales tantum morbi curādi sunt, facile posse oues suas licet inuitas curare, cum in promptu illis sit eas vincire, includere, secare, urere:& iudices etiam sęculi, qui solum externas populi actiones regunt, facile posse uinculis, carceribus, gladio populum cogere ad externam tranquillitatem & pacē: Episcopum autem, cui propositū est vitiis, nisi uelit:neq: ullis animorum mederi, difficillimam impositam esse prouinciam, cū nemo curari possit à uitiis, nisi velit:neq;ullis tormētis adigi possint homines ad uirtutes. Non fuisse aūt Chriso.in ea sententia, ut non possit Episcopus pro imperio cogere, testatur ipse idem Chrysost.in hom.70.ad populum Antiochenum, ubi prohibens, ne quis mulieres prœficas aduocet ad funera deploranda, sic loquitur. Ne cogā, inquit, eas uera & propria mala deflere. & infra. Si uero quod absit, contempti fuerimus, minas ad rem deducere cogemur, uos quidem ecclesiasticis castigantes legibus, illas uero, sicut eis conueniet. & hom. 83. in Matth. Vt etiam supra citauimus,

uimus, diaconos monet, ut indigne ad Eucharistiam accedentes, pro potestate cohibeant, etiam si Duces, Consules, Imperatores fuerint. Cum igitur Chrys. in lib. 2. de sacerdotio scribit, Episcoporum solis persuasionibus, non autem ui, & potestate cum ouibus suis agere posse, loquitur ut diximus, de interna animorum conuersione, & curatione, non de externa improbitate cohibenda. Quarto addit Hilarium, qui in lib. ad Constantium, & in altero contra Auxentium scribit, non debere homines ad fidem ueram cogi corporalibus pœnis, & grauiter Arianos accusat, quod exsiliis, & carceribus catholicos ad hæresim Arianã pertrahere niterentur. Sed facilis est solutio. Verissimum est enim neminem ad fidem esse cogendum: neque Ecclesia docet Ethnicos, & Iudæos ad fidem nostram, quæ sola uera est fides, armis, aut terroribus cogi posse. Hæreticos autem iure suo Ecclesia cogit, non ut fidem suscipiant, sed ut in fide maneant, quam aliquando susceperunt. Neque ignorabat Hilarius, ab ipsa Nicæna synodo à Constantino Magno impetratum fuisse, ut Arius exsilio multaretur. Porrò Ariani merito ab Hilario arguuntur, quod ad suam perfidiam catholicos ui pertraherent, cum nullum ius Ariani in catholicos, sed contra catholici in Arianos haberent; neque enim catholici ab Arianis, sed Ariani à catholicis ante desciuerant. Quinto ad scripturas reuertitur, & illud ex Euangelio citat, reges Gentium dominantur eis, sed non

ita

ita uobis futurum eft Matthæi uigefimo,& Luc. 22. At quis noftrum umquam docuit debere Epifcopos populis dominari? *P*atres, paftores, præfules, non dominos effe dicimus. Quamquã eo loco non tam dominatum, quam fuperbiam & tyrannidem dominantium Chriftus reprehendiffe uidetur: cum ftatim fubiecerit, ficut Filius hominis non uenit miniftrari, fed miniftrare; ubi cum reprehendiffet modum ethnicæ gubernationis, formam fui regiminis propofuit, qui cum uere effet magifter, & dominus, ut ipfe ait Ioan. 13. ea tamen humilitate præerat, ut feruire, ac miniftrare potius uideretur. Sexto addit exemplum Chrifti, qui Ioan. *6*. fugit in montem, ne rex eligeretur, & Ioan. 18. regnum fuum non effe de hoc mundo affirmauit. Et Luc. 12. Iudex fieri noluit inter fratres litigantes. & Matth. 17. tributum pro fe, & *P*etro foluit. & Ioan. 13. Apoftolis imperauit, ut exemplum fuum imitarentur. Quod illi fecerunt Apoftolo dicente, Nemo militans Deo, implicat fe negotiis fæcularibus 2. Tim. 2. Sed quorfum hæc omnia? Noluit Chriftus temporale regnum in hoc mundo, quia rex æternus à patre conftitutus erat fuper montem fanctum eius, & acceperat gentes hæreditatem fuam, & poffefsionem fuam terminos terræ. *P*fal. 2. fic etiam Apoftolis, & fuccefforibus eorum non regnum aliquod terrenum, fed Ecclefiafticam præfecturam cũ ampliffima poteftate commifit. Et quãuis ea poteftas, ut fupra oftendimus,

mus,ad animos, & res diuinas & æternas proprie pertineat, unde etiam nomine Clauium regni cælorum appellata est,tamen ad res etiã terrenas,& corpora se extendit, quando id postulat fidei caussa,religionis incolumitas, aut salus animorum.Quocirca non implicat se negotiis sęcularibus, qui sæcularia negotia non propter præsens sæculum, sed propter æternam fęlicitatem attingit. Alioqui Apostolús ipse negotiis sæcularibus se implicasset, dum 1.Cor.7.& 1.Tim.5. de coniugali debito reddendo, de nuptiis adolescẽtium,uiduarum, & de liberorũ procreatione, & educatione præcepta daret. Septimo ꝓfert illud ex Apostolo, omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit Rom.13.in quem locũ, ait,Chrysostomum scribere,nullum omnino ab hac lege excipi,siue Apostolum, siue Euãgelistã, sacerdotũ, monachum, aut quemuis alium.Sed Apostoli testimonium caussæ nosttæ maxime fauet.Generalis & uerissima est illa sententia,debere omnes omnino superiori potestati obtẽperare.Sed quia potestas est duplex,spiritualis;& temporalis,ecclesiastica & politica,quarũ altera episcoporũ,altera regũ est: episcopi regibus in temporalibus rebus,& reges Episcopis in spiritualibus subiecti esse debebũt, ut copiose disputant Gelasius primus in epist.ad Anastasiũ,& Nicolaus i.In epist.ad Michaelẽ.Quoniã uero Rom.Episcopus nõ modo summus est princeps ecclesiasticus,cui oẽs Christiano diuino iure subiiciun-

tur; sed est quoque in suis prouinciis Princeps temporalis; neque ullum in temporalibus superiorem agnoscit, ut neque reliqui absoluti, ac supremi Principes in suis regnis & ditionibus, inde fit, ut ipse nullam supra se potestatem in terris habeat, & ipsi ut potestati subli miori iuxta præceptum Apostoli, reges omnes & Principes Christiani subiecti esse debeant. Hinc est illud sancti Bernardi ad Conradum Imperatorem epist. 183. legi, omnis anima potestatibus sublio ribus subdita sit. Quã sententiã cupio uos custodire in exhibẽda reuerentia Petri Vicario, sicut ipsam uobis uultis ab uniuerso seruari imperio.

CAP. XXVI.

VENIT postremo ad exempla Pontificum, qui dum se regibus subiectos palam profiteban tur, simul docebant, non se posse regibus impera re. Primo loco Bonifacium primum addicit in medium, qui ab Imperatore Honorio petiit, ut iuberet Rom. Pontificẽ non eligi deinceps per ambitũ, aut quauis illicita ratione. can. Ecclesiæ. dist. 97. sed quid hoc facit ad rem? Imperabat eo tempore in occidente Honorius, neque Põtifex eas temporales uires per se habebat, ut seditioni bus popularibus, quæ circa eiusdem Pontificis electionem subinde nascebantur, occurrere posset. Itaque ab Imperatore petiit, ne pateretur electiones turbari, sed factiosos, atque ambitiosos homines Imperiali potentia coerceret. Ob quam etiam caussam postea Romani ipsi Pontifi-

Pontifices Carolo Magno ius eligendi Pontificem eundem contulerunt. Sed non ideo Imperator Pontifici præerat, aut eum iudicare poterat, quia electioni eius præerat. Aliud enim est personã designare, quæ Pontificatũ accipiat, aliud in Pontificem iam creatum potestatẽ habere. Secundo loco profert acta quædã Odoacri regis Herulorũ, qui Romæ imperauit Symmacho Põtifice, sed uerba eius audiamus, Fuerunt ab ipso Odoacro, optimæ leges latæ, & per ecclesiasticos receptæ in Ecclesia, donec à Theodorico Vvisigotho fusus est. can. Bene quidẽ, dist. 96. Nescio quid hic de aduersario iudicem, somniaueritne, cum hæc scriberet, an de industria cõtra se testimonia allegauerit, ut se nõ esse sani capitis indicaret? Siquidẽ totus ille canõ, Bene quidẽ. Ab eo citatus consumitur in abroganda lege politici magistratus. Hæc enim sunt uerba canonis illius citati ex Concilio Romano sub Papa Symmacho deprõpta. Ista scriptura nullũ Rom. ciuitatis potuit obligare Pontificẽ: quia nõ licuit laicis statuẽdi in Ecclesia, præter Rom. Pontificẽ, habere aliquam potestatem; quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi. & infra. Sancta synodus dixit. Licet secũdum prosequutionẽm uenerabilium fratrum nostrorum Laurentii, Petri, Eulalii, Cresconii, Maximi, uel Stephani, nec apud nos incertum habetur, hanc scripturam nullius esse momenti: uerumtamen etiamsi aliqua posset ratione subsistere: modis omni-

bus in ſynodali conuentu prouida beatitudinis
ueſtræ ſententia eneruari conueniebat,ne in exẽ-
plum remaneret præſumendi quibuslibet laicis,
" quamuis religioſis,uel potentibus in quacunque
" ciuitate, quolibet modo aliquid decernere de ec
" cleſiaſticis facultatibus, quarum ſolis ſacerdoti-
" bus diſponendi indiſcuſſe à Deo cura commiſ-
" ſa docetur. Hæc Romę Synodus illa Symmacho
præſidente dictare non dubitauit contra legem à
Baſilio patricio, & Odoacri Regis uicario in ip-
ſa Vrbe tum regnantis,latam . Quomodo igitur
non dormiebat,aut non delirabat,qui ſynodi hu
epiſt. ius decretum protulit,ut probaret,optimas leges
32. Odoacri ab Eccleſia fuiſſe receptas ? Nam quod
Theodoricum Odoacri ſucceſſorẽ Vviſigothũ
pro Oſtrogotho nominat, & alia quædam minu
tiora errata facile patior ſileri.Tertio loco profert
exemplũ Pelagii Papæ primi in hæc uerba.*Pela-
gius primus fidem profeſſus eſt,& iuſiurandũ de
epiſt. dit in manus Rufini , quem Childebertus Rex
ad ſoli Francorum ablegauerat. can. Satagendũ. 2 5.q.
tariã 1.Hic aduerſarius ita canonem illum interpreta
uitam ri uidetur,ut Pelagius Papa obediẽtiã Regi Chil
agen- deberto iurauerit:id enim ei probandum fuerat,
tes. Romanos Pontifices regibus ſubiectionem , &
obedientiam olim deferre ſolitos. Sed lõgiſſime
abeſt id à ſententia Canonis illius . Rex Childe-
bertus Pelagii Papæ ſententiam de fide Catholi-
ca cognoſcere cupiebat.Quare perlegatum ab eo
petiit,ut uel fidem ſuã ad ſe perſcriberet, uel cer-

te to-

te tomum sancti Leonis se approbare significaret. Vtrũquè Papa pręstitit: nam & tomum sancti Lèonis in omnibus se approbare significauit; & fidem etiam propriis uerbis exposuit, ne (ut ipse ait) ulla malæ suspicionis occasio in animis hominum resideret. Hæc est tota sententia canonis illius, in quo nulla iuramenti ad manus Rufini præstiti, nulla subiectionis, uel obedientię ad Regem mentio est. Ita scilicet bona fide solet iurecõsultus noster canones allegare. Quarto profert exemplum Leonis iiii. quem scribit iureiurando confirmasse, se leges Lotharii seruaturum; & ut quendam diaconum Ecclesię Reatinę Episcopũ fieri promitteret, ab eodem Lothario postulasse; & coram Ludouico Lotharii filio caussam læsę Maiestatis egisse. can. de capitulis. dist. 10. can. Reatina, dist. 63. can. Nos si incompetenter. 2. q. 7. sed hæc omnia facillimam habent solutionẽ. Nam in eo canone, de capitulis, non iurat Pontifex Leo, ut aduersarius mentitur, se leges seruaturum, quas Lotharius præsente Eugenio ii. Pontifice tulerat, quæque relatæ sunt in primum librum feudorum. Siquidem nec leges illæ feudales ad Pontifices pertinebant, nec earum ulla mentio fit in canone, de capitulis, nec iusiurandum Papæ in eo canone legitur; sed solum Pontifex Leo daturum se operam pollicetur, ut leges tum Imperatorum, tum etiam Pontificum obseruentur. In quam sententiam loquitur etiam Io. 8. can. Vides. dist. 10. Quod attinet ad Ecclesiã

Reatinam, mirum videri non debet, si Pontifex Episcoporum ordinare nolebat sine Cesaris volũtate, cum eo tempore vigeret priuilegium, quod Hadrianus Papa Carolo Magno cõcesserat, vt nullus Episcopus fieret, quẽ Cæsar nõ cõmendasset, vt videre licet. can. Hadrian. dist. 63. quod denique ad purgationẽ Leonis pertinet corã Ludouico Lotharii filio, satis constat ipsum Pontificem sponte sua se iudicio discretiuo, ut loquuntur, nõ coactiuo Imperatoris subiecisse. Quod etiam antea Leo tertius, & Sixtus etiam tertius fecerant, qui freti innocentia sua caussam examinari uolebant, ac deinde solo iuramento non ullius superioris iudicis sententia purgabantur. Quinto profert exemplum Honorii iii. cap. 3. de iuram. cal. ubi Pontifex legem imperialem de iuramẽto clericorum seruãdam esse dicit. At quid mirum est, si Pontifex legem illam, quæ ad cleri honorẽ maxime pertinebat, obseruari uoluerit? Lex enim ea erat, ne in iudicio publico clerici, aut monachi iuramentum præstare cogerentur. Sed cur illud aduersarius in eo cap. non aduertit summum Pontificem iudicem se legum ostendisse, cum eas pro auctoritate sua declarauerit & extenderit? Sexto profert exempla ueteris legis, quibus se obturare uelle dicit ora omnium aduersariorum. Scrutẽtur (inquit) diligentissime in scriptura sacra, quã auctoritatem reges, & principes Israelis in sacerdotes, & alios ecclesiasticos diuinæ legis ministros habuerint, cui auctoritati nihil decessit hoc

nostro

noſtro tempore gratiæ. Omnino deprehenſuri ſunt, maximā illorum in hos fuiſſe poteſtatē. Sed ego ſcrutando reperi non pauca, quæ ipſius os fa cillime obturabunt. Siquidē in li. Num c. 27. iubetur Princeps & omnis populus ingredi, atq; egredi ad verbū Eleazari ſacerdotis, In lib. Leuit. cap. 4. deſcribūtur quatuor genera ſacrificiorū, ex quorum ordine & dignitate recte colligunt interpretes, ordinem & dignitatem perſonarum, pro quibus illa offerebantur. Primum erat ſacrificium vituli, quo nullum erat maius, idq; pro ſolo Pontifice, ut pro perſona omnium digniſſima; alterū ſacrificium itē uituli, tota ſynagoga, tertiū hirci, uilius ſcilicet, & abiectius, pro rege; quartū deniq; capræ, id eſt infimum & uiliſſimum pro priuato quolibet immolabatur. Ex quo Philo doctiſſimus Hebræorum in lib. de uictimis, Theodoretus q. 1. in Leuiticum, & Procopius Gazeus in cōment. 4. cap. Leuitici, Pontificem rege præſtantiorem, & maiorem etiam apud Hebræos fuiſſe confirmant. In lib. Ioſue c 14. 17. 19. 21. perpetuo cum nominandi ſunt Sacerdos, & Princeps, Eleazarus, & Ioſue, primo loco Sacerdos, ſecundo Princeps appellatur. Quid quod (ut ſupra breuiter annotauimus) Ioiada Pontifex Athaliam reginā tū ob tyrannidem, tum ob corruptam religionē de ſolio deturbari, & Ioas regē in eius locum ſubſtitui iuſſit? Ioiadam enim non conſulendo, aut hortando, ſed plane imperando negotium confeciſſe teſtantur uerba illa diuinæ Scripturæ. Et fece-

runt Centuriones iuxta omnia quæ præceperat eis Ioiada Sacerdos 4.Reg.11.septimo loco adiũ
„ git exemplum Apostoli *P*auli, qui, ut uerba ip-
„ sius ponam,cum à Iudæis accusaretur hæreseos,
„ agnoscebat cognitionem caussæ suæ ad Festum
„ Cæsaris vicarium pertinere, eaque de caussa ad
„ Imperatoriam maiestatem accusatores suos pro
uocabat. Act.25.Quis non rideat;tam absurdum scripturarum interpretem? Ergone *P*aulus Apostolus iudicem fidei Christianæ fecisset hominem ethnicum eiusdem fidei planè rudem, immò,& irrisoriam? Pati noluit Ambrosius in palatio Valentiniani Imperatoris, qui se tamẽ christianum profitebatur Christi caussam agitari ne forte ethnicus aliquis inter iudices sederet,& de Christo triumphum ageret, si de Christi fide iudicaret. Et Magnus Athanasius Constantium Augustum antichristum appellare non dubitauit, quod in Concilio sacerdotum præsidere ausus esset:& Apostolus *P*aulus eiusdẽ Christi caussam sponte sua ad Imperatorem ethnicum,tanquam ad legitimum iudicem detulisset? Non igitur de fide,atque hæresi,sed de seditione, & tumultu in populo excitato primum coram Felice, deinde corã Festo,postremo coram *N*erone iudice caussam dixit. Nam,& accusatores eius Act.24. dicebant,Hunc inuenimus hominem pestiferum, & concitantem seditiones omnibus Iudæis in uniuerso orbe,& auctorem seditionis sectæ Nazarenorum,qui etiam templũ uiolare conatus est. Et

Paulus

Paulus respondebat. Non plus sunt mihi dies, quam duodecim, ex quo adscēdi adorare in Hierusalem, & neq; in templo inuenerunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neque in synagogis, neque in ciuitate. Et cap. 25. Neque in legem Iudæorum, neque in tēplum, neque in Cæsarem quidquam peccaui. Ipsi etiam Romani iudices non ita imprudentes erant, ut de iis rebus iudicare uellent, quę non intelligebant. Itaque proconsul Achaię Gallio Act. 18. ad Iudęos Pauli accusatores in hęc uerba respondit. Siquidem esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum, o uiri Iudęi, recte uos sustinerem: si uero quęstiones sunt de uerbo, & nominibus legis uestrę, uos ipsi uideritis, iudex ego horum nolo esse. Octauo refert ex historia Africa (vt ipse dicit) Optati, Marcellinum pręfectū datum ab Honorio Imperatore iudicem contra Donatistas. Sed prodidit in hac re sapientiam suam. Nam historiam collationis Carthaginiensis Frācisci Balduini, quod ī ea crebro citetur Optatus, uidetur aduersarius ita accepisse, ac si tota historia Optati fuisset. Sed neque ulla extat Optati historia Africana, sed solum libri quidam aduersus Parmenianum: neque in iis libris meminit, aut meminisse potuit Marcellini ab Honorio delegati in caussa Donatistarum, cum libros illos scripserit Syricio summo Pontifice, ut ipse in 2. libro testatur. Marcellini autē delegatio facta sit post mortē Syricii, & Anastasii successoris eius,

Innocentio primo Pontifice, anno uidelicet post Consulatum Varonis, ut ex actis collationis illius intelligi potest, cui præfuit Marcellinus ab Honorio delegatus. Quod autem Marcellinus tribunus cognitor datus sit in caussa Donatistarum, nihil officit caussæ nostræ. Nam ut scribit S. August. lib. 3. contra Iulianum cap. 1. non fuit illud Ecclesiasticum iudicium, in quo fides explicanda esset, sed extraordinaria collatio, & ob quandam necessitatem suscepta. Siquidem Donatistæ totam Aphricam infestabant, nec poterant aliter reprimi, aut ad disputationem cogi, nisi per temporales potestates. Itaque Marcellinus nunquam more iudicis sedere uoluit; neque aliam sententiam tulit, nisi quæ instar esset publici testimonii, quo significabatur, Donatistas in disputatione cum catholicis usque adeo inferiores fuisse, ut nihil tandem habuerint, quod responderent. Vide August. in Breuiculo collationis. Nono profert ex August. tract. 11. in Ioannem, mandatum aliquando fuisse Dulcitio Tribuno ab Imperatore, ut in Donatistas animaduerteret. Sed nulla hac de re controuersia est. Iudicium enim de fide Principum temporalium esse negamus; hæreticos autem ab Ecclesia iudicatos, quales tunc erant Donatistæ, & quales Lutherani, & Hugonotti sunt, à temporalibus principibus puniendos esse libentissimè concedimus. Postremo totum caput suum 19. atque adeo totam disputationē claudit insigni testimonio S. Ambr. qui in epi. 32. testatur Dalmatiū

præfe-

præfectum ab Imperatore ad se missum, ut ad cō cilium in palatio, Imperatore iudice, celebrandum accederet. Sed si hoc non est impostorem agere, & imperitia uulgi abuti, nescio quid unquā erit. Scribit quidem Ambrosius ad iudicium illud se uocatum, sed etiam scribit, se nulla ratione accedere uoluisse, etiam si de capite periclitandum esset. Hæc enim sunt Ambrosii uerba in epistola illa ad Imperatorem Valentinianum, Dalmatius me tribunus, & notarius mandato, ut allegauit, clementiç conuenit tuç: postulans, ut & ipse iudices legerem, sicut elegisset Auxentius: nec tamen expressit eorum nomina, qui fuerant postulati. Sed id addit, quod in Consistorio esset futura certatio arbitro pietatis iudicio tuç. Cui rei respondeo, ut arbitror, competenter. Nec quisquā contumacem iudicare me debet, cum hoc asseram, quod augustæ memoriæ pater, cuius non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit: in caussa fidei uel Ecclesiastici alicuius ordinis eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis. Hęc enim uerba rescripti sunt. Hoc est, sacerdotes de sacerdotibus uoluit iudicare. & infra. Quando audisti, clementissime Imperator, in caussa fidei Laicos de Episcopo iudicasse? & infra. Quis abnuat, in caussa fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis iudicare? & infra. Si conferendum de fide, sacerdotum debet esse ista collatio. hæc ille.

CAP.

SED quamquam diligenter excussimus ea, quę aduersarius siue ad rem, siue etiam præter rē protulit aduersus Romani summique Pontificis auctoritatem: unus tamen adhuc scrupulus eximendus superest, qui simplicioribus nonnullis non parum negocii fortasse facesseret. Igitur pag. 156. bullam Martini quinti Pontificis à Molinęo citari scribit aduersarius, qua priuilegium Francis concessum sit, ne rex, officiales, & subditorum ipsius corpora, & communitates à Pontifice, aut quouis Episcopo excōmunicari possint. Eam uero bullam non aduersari dispositioni iuris, quam ferè obseruare solēt Pontifices, probat ex illa extrauaganti Io. 22. quæ incipit. Frequētes. de iudic. ubi Papa scribit, posse priuilegium alicui à sede Apostolica dari, ne is ab ullo excōmunicetur. Qua etiam ratione dicit Eugen. iiii. in extrauaganti Diuina. de priuil Francis. (Quam uocem de suo addidit aduersarius: neq; enim Eugenius Francos nominauit, sed generatim priuilegium dedit) curiam Romanam sequentibus cōcessisse, ut nulli Episcopo liceret in eos excommunicationis sententiam ferre. Sed addit postremò, se non multum de bullis, & priuilegiis Ro. curię laborare, cū ex iure, auctoritate, & dignitate maiestatis Regis Frācorum sit, ut nullum superiorem agnoscat, nisi Deum. Ad hanc obiectionem plurimę solutiones adhiberi possunt: primam enim non facilè demonstrabitur talis aliquá Bulla, in

qua Francorũ principes excommunicari nõ posse à summo Ecclesię præsule significetur. Deinde si eiusmodi bulla ostenderetur, deberet sine dubio ita explicari, ut intelligeremus, nõ posse principes illos excommunicari, nisi priuilegium eis datum à summo Pontifice reuocaretur. Neque enim potest summus Pontifex futuro summo Põtifici manus ligare, cum par in parem nullam habeat potestatem. Atque ad hunc modum loquitur Ioan. 22. in extrauaganti, quam aduersarius citat. Fert enim excommunicationis sententiam in eos etiam, qui forte ab Apostolica sede priuilegium habuerant, ne excommunicari possent, nisi de hoc ipsorũ priuilegio specialis mẽtio fieret. Porrò in caussa fidei priuilegia omnia cessant, neque est ullus, siue Princeps, siue priuatus, qui ob hæresim excommunicari, aliisque pœnis in hæreticos latis affici nõ possit. De qua re extant clarissima testimonia summorũ Põtificũ Vrbani 4. & Clemẽtis item 4. in litteris quę incipiunt. Præ cũctis, & eiusdẽ Clementis c. Vt officium, de Heret. 6. paragrapho Denique, ubi cũ de potestate inquisitorũ multa dicta essent, hæc additur clausula. Nõ obstãtibus aliquibus priuilegiis uel indulgentiis quibuscũque personis, cuiusuis conditionis, dignitatis, uel gradus, religionis uel ordinis, cõmunitatibus, uel uniuersitatibus ciuitatũ, & locorũ specialiter uel generaliter, sub quacũque uerborũ expressione, uel forma à memorata sede concessis, uel in posterum cõcedendis, cũ

ex

ex huiusmodi, uel aliis priuilegiis, uel indulgentiis nullum uobis in tanto pietatis negotio uelimus obstaculum interponi. Quod si *P*ontificum litteris, & decretis contemptis sola Regia maiestate, & auctoritate nitatur aduersarius, quo iure Francorum regem, eiusque *P*rincipes excommunicari non posse contendit, eodem affirmet necesse est, alios item Reges, qui supra se nullum agnoscunt Principem temporalem, excommunicari æque non posse. Cur enim priuilegiis semotis, potius Apostolicæ sedi Rom. Imperator, & Reges Anglorum, *P*olonorum, Danorũ, aut quiuis alius summus Princeps subiiciatur, quã Rex Francorum? At Imperatorem Theodosium potẽtissimum orbis terræ monarcham iustè excommunicatum fuisse ob cædem Thessalonicẽsium; & Arcadium Theodosii filium itẽ Augustum, ob expulsum à sua sede Chrysostomum: & Zenonẽ & Anastasium Imperatores ob hæresim Eutycham, & ob alia crimina Hẽricum Angliæ, & Sueonem *D*aniæ, & Boleslaum *P*oloniæ Reges, aduersarius confitetur pag. 164. & sequentibus. Si igitur potentissimos istos Imperatores, & Reges, aduersario teste, summa ipsorum dignitas, & maiestas ab Ecclesiastico anathemate tueri nõ potuit, poterit Francorum regem, aut eius subditos, inferior, uel non maior dignitas, atque maiestas? quid? quod imprudens, & secum ipse toto opere pugnans aduersarius id ipsum affirmat de Francorũ regibus pag. 161. & sequenti, quod ibidem,

dem, & pagina ſuperiore de aliis regibus & Imperatoribus affirmauerat. Nā Lotherium, Dagobertū, Philippum Auguſtum, Philippū Pulchrū, Ludouicū duodecimū excōmunicatos aliquando fuiſſe cōmemorat: Et ſane ſi uera ſunt, quæ ex euangelio & ſanctorū patrum commentariis, & ex ipſis Francorū regnum, & procerū teſtimōiis ſupra retulimus de poteſtate Ro. Pōtificis in omnes omnino fideles, & in ipſos etiam Francos ſiue Principes; ſiue priuatos, ſiue eccleſiaſticos, ſiue laicos, quæ certè falſa eſſe non poſſunt, nulla cauſſa fingi poteſt, cur idem Rom. Pont. quoſlibet Principes, ſi res id poſtulet, excommunicare non valeat.

PARS QVARTA.

CAP. XXVIII.

NVNC demum cauſſæ adferendæ ſunt cur non modo non tutum, ſed etiam periculoſiſſimum, uel potius euidenter ſummeque perniciosum exiſtimari debeat, ſi homo hæreticus ad regni ſolium in catholicorum prouinciis euehatur. Ac primum illud affirmo, ubi rex eſt hæreticus, ibi nec regnū, nec religionem eſſe poſſe diuturnam: proinde ſibi certo perſuadeant, qui de rege hæretico accipiendo conſultant, eos de regno & religione perdenda eodem tempore conſulta re. Si reuoluantur ueteres hiſtoriæ, tria noua atq; ingentia regna eodem fere tempore inſtituta

inuc-

inuenientur, Vvandalorum in Africa, Gothorũ in Italia, Francorum in Gallia: regnum Vvandalorum Genserico auctore in Africa constitutum, quod reges hæreticos, & in catholicam Ecclesiá crudelissime debacchantes habuerit, à sex tantum regibus potuit obtineri. Nam etsi potentissimum esset, & longe lateque propagatum: Deo tamen ueræ religionis iniurias uindicante, paulo post ita deletum funditus, atque ab imis radicibus euersum est, ut uix memoria Vvãdalorum in Africa reliqua fuerit. Regnum Gothorũ Theodorico auctore in Italia constitutum adeo florebat initio, potẽtia, atque opibus, ut uix ulla in re Romano Imperio cederet. Reges habuit minus quidẽ in catholicos, inhumanos, Arianos tamẽ; & iccirco stabile, ac firmum esse non potuit. Vix enim octo reges in Italia sceptrum tenuerant, cum Gothi omnes ad unum ex Italia pulsi, uel in Italia ad internecionem cæsi deletique fuerunt. Solum est regnum Francorum, quod radices altissimas iacere, & firmum atque inconcussum tot iam sæculis permanere potuit, quod iá inde à Clodoueo Christianissimos reges, & catholicę religionis cultores Romanæque Ecclesiæ defensores singulari Dei beneficio habere meruerit. Imperiũ Romanorũ quamuis neque ab hęreticis constitutũ sit, neque ab iis euerti potuerit: tamen catholicis principibus imperãtibus uehementer floruisse, ab hæreticis contra in extremũ periculum quandoque perductum fuisse, nemo

mo negabit; qui historias legerit. De Constantino Imperatore catholico ita S.August.in 5.lib. de ciuitate Dei loquitur, Constantinū Imperato- ca. 25
rē ipsum uerum Deum colentē tantis terrenis Socr.
Deus impleuit muneribus, quanta optare nullus auderet. Vniuersum orbē Romanū unus Augustus tenuit, & defendit. In administrandis & gerendis bellis uictoriosissimus. In tyrannis opprimendis per omnia prosperatus est, grandæuus ęgritudine & senectute defunctus est, filios imperātes reliquit. similia de utroque Theodosio, de Carolo Magno, de Othone primo, deque l. 2. c.
aliis multis dici possent. Cōtra uero Constantius 37.
Arianorū fautor in ętatis flore, sine hærede, mœrore animi potius quā morbo cōsumptus hosti suo, in quē arma parabat, imperiū relinquere coa Greg.
ctus est. Iulianus Imperator impius Christianæ Naz.
fidei desertor, in ipso regni sui exordio diuinitus ora. in
percussus, communi etiam caruit sepultura, ne- Atha
que solū ipse misere periit, sed etiā exercitum pœ nasiū.
ne totum perdidit, & Imperiū Romanū maxi- Rufi-
mo detrimēto affecit. Imperator Valens Arianæ nus li.
hæresi supra modū addictus à Gothis turpiter a 11. c.
cie uictus uiuus crematus est, & orientale impe- 13.
rium in eas angustias adduxit, ut uix incredibili uirtute catholici religionisque Principis Theodosii retineri cōseruarique potuerit. Imperatores orientis ab eo tēpore, quo propter iconomachorū hæresim ab Eccesia Romana dissidere cœperunt, semper magis ac magis uiribus & poten-

tia

tia imminuti, imperium tandem sæuissimo Turcarum tyranno cedere coacti sunt. Neque ulla uerior caussa reddi potest cur Asiam, Africam, Græciam tam facile Turca inuadere & occupare potuerit, nisi quia schismata, atque hæreses, quæ in iis locis vigebant, vel etiam hodie vigent, horribilem istam, iustissimamq; pœnam à domino merebantur. Quid multa? legantur, ac relegantur diligenter historiæ, non facile quis inueniet, regnum vllum ab hæreticis principibus gubernatum fęliciter propagari, aut diutius conseruari vllo vnquam tempore potuisse.

CAP. XXIX.

SED parum esset si regnũ temporale solum, nõ etiam uera religio, quæ sola ad uitam beatam & sempiternã ducit, hæreticis regnantibus in discrimẽ adduceretur. Verissima enim est illa sentẽtia. Qualis est rector ciuitatis, tales & habitãtes in ea, Ecclesi. 10. & illud poetæ; Totus cõponitur orbis Regis ad exemplum, hinc uide licet tẽporibus Iudaicis, ubi Dauit, Ezechias, Iosias, & alii pii Reges erãt, ibi religio uera passim ab omnibus colebatur, ubi Hieroboam idolum erexit, maxima regni pars ad idola colenda defluxit; & post Christi salutarem aduentum, Constantino pio regnante, florebat Christiana religio, idola ubique deserebantur. Regnante Constantino Ariano ingemuit orbis, ut uerbis utar sancti Hieronymi in dialogo contra Luciferianos, & se Arianum esse miratus est. Regnante

apostata

apostata Iuliano, idololatria reuixit, innumerabiles homines, qui Christo nomen dederant, vt impio regi placerent, à Christo ad Belial defecerũt. Ac ut antiqua prætercam, nonne intra paucos annos hac nostra ætate imperante in Britãnia Eduardo sexto, regnum pæne totum à Christo ad Caluinum defecit? Imperante Maria, nonne iterum regnum totum ad Christum, & Ecclesiam rediit? Imperante Elisabetha, nonne iterum regnare cœpit Caluinismus; & uera exsulare religio? In cæteris Christiani orbis partibus nescio an uel vnum inuenias principem hæreticum, in cuius ditione catholica religio publice colatur, & uigeat. Fallitur igitur, qui rege hæretico religionem catholicam diu conseruari posse arbitratur incolumem.

CAP. XXX.

NEQVE solum ideo religio perit hęreticis regnantibus, quod plurimi sequuntur exemplum regis: sed etiã quia tam est sæuus, ac truculentus in catholicos hæreticorũ furor, quando cum summa potestate coniungitur, vt eos nullo loco consistere patiatur. In testamẽto veteri quid Achab rex, & vxor eius Iexabel studio falsæ religionis ĩ ueros Dei cultores egerint, testantur uerba illa Heliæ prophętæ, altaria tua destruxerunt, & prophętas tuos acciderunt gladio, & relictus sum ego solus, & quærunt animam meam, ut auferant eam. Quibus porrò cladibus à Constantino, & Valente Imperatoribus, & non diu post à Genserico,

co, Hunerico, & Trasimundo regibus Arianis attriti fuerint catholici, prope fidem superat, ac nisi à uiris sanctissimis, & optimis, & qui illo ipso tempore uixerunt, Athanasio, Petro Alexandrino, Gregorio Nazianzeno, Rufino, Victore Vticensi literis ea mandata fuissent, prorsus incredibilia possent uideri. In uita S. Antonii, Magnus Athanasius, *Post annos*, inquit, *duos sæua Arianorum irrupit insania. Tunc ecclesiarum fuerũt rapinæ; tunc diuinorum temeratio uasorũ; tunc pollutis ethnicorum manibus sacra polluta sunt mysteria. Proh scelus horret animus explicare quę gesta sunt. Virginũ matronarũque ereptus pudor, sanguis ouium Christi in Christi templo effusus, uenerãda respersit altaria*: & in apologia de fuga sua; *Quis*, inquit, *locus reliquus, qui non ipsorum sæuitæ monumenta possidet? Quæ Ecclesia non luget eorum insidias?* Et infra, cum enumerasset plurimorum Episcoporum exsilia, & uincula, nonnullorum etiam tormenta, & mortes, ista subiecit. *Videre erat post septimanam Paschæ uirgines in carcerem detrudi, Episcopos uinctos à militibus duci, pupillorũ uiduarumque ædes populari, noctu Christianos raptari, ædesque obsignari, & fratres clericorum pro fratribus in periculũ deuocari.* Et infra. *Virgines ignibus flammãtis rogi admotas adigebat ad confessionem Arianicæ religionis: ibi cum eas inuictas cerneret, corpora nudat, atque ita in faciem cædit, ut uix longo post tempore à suis potuerint agnosci*,

Viros

Viros autem quadraginta compræhenſos noua ratione lacerauit: uirgis enim palmeis aculeos ſuos adhuc retinentibus ita terga eorum cæcidit, ut alii ſæpius à medicis ob tenacius inhærentes aculeos fruſtra curati, alii curationem non ferentes, mortẽ oppetiuerint. Et infra cauſſam harum omnium rerum uno verbo attingẽs, Siquidem, inquit, illis ſtudium fuit ſecundum Achab quoquo modo, ſi id fieri poſſet, ueritatem de medio tollerẽ. Hæc Athanaſius de iis facinoribus, quæ fautore Conſtantio Ariani in catholicos perpetrauerãt. *Pet. Alex.* Athanaſii in Epiſcopatu ſucceſſor tragœdias, quas Valentis Imperatoris tempore iidem excitauerunt Ariani, accuratè deſcribit in epiſtola quadam, quã ad uerbum hiſtoriæ ſuæ Theodoretus inſeruit li. 4. c. 20. in ea epiſt. præter alia iſta cõmemorat, eos (preſbyteros uidelicet, & diaconos Eccleſię) compellere cępit, uti auitam fidem ab Apoſtolis per patrum ſucceſſionem nobis traditam proderent. Affirmauitque Valentem Auguſtum Imperatorem clementiſſimum hac re uehementer delectatum iri. Poſtremò cum maxima contentione uocis hęc uerba protulit. O miſeri obſequimini, Arianæ opinioni aſſentite, pro certo perſuaſi, quod ſi iſtius doctrinę obtemperaueritis, ſitis pecuniam, opes, & honores ab imperatoribus conſequuturi: ſin autem reſtiteritis, tum carceres, tormenta, quæſtiones, flagella, & carnificinę uobis ſubeundę ſunt. Et infra, cum multa crudeliſſima exempla commemoraſſet, hæc ſubiungit. O ſæuam iudican-

tis, immo uero condemnantis crudelitatē. Nam qui pro pietate decertarint, idem cum homicidis iudicium subeunt: corporaque eorū manent insepulta; & qui pro fide strenue dimicarint, bestiis, & uolucribus obiiciuntur ad uorandum; qui denique patres cæsorum, conscientię caussa, commiserati sunt, tamquā impii facinoris auctores, securi feriuntur. Quæ Romanorum lex, quæ barbarorum sententia uindicauit in eos, qui patribus cæsorū condoluerunt? Vbinam tale scelus à quoquā ueterū fuit umquā patratū? Sunt ista quæ commemoro, incredibilia quidem, immania, dira, crudelia, & barbara, sine misericordia, amara: sed tamen amentes Ariani in illis insolenter gloriati sunt, atque tripudiarunt. Cum enim tota ciuitas in luctu, & mœrore esset (nulla enim domus erat, in qua, ut in Exo. Scriptum est, nō iaceret mortuus) hi, quorū crudeles animi nullo modo exsaturari poterant, nō conquieuerunt, sed scelus de integro exercere aggressi sunt. Heę ille. Rufinus lib. 11. hist. Ecclesiasticæ, ca. 3. de lucio Episcopo Ariano, qui Imperatoris itē Ariani præsidio fultus Ecclesiā catholicam misere deuastebat, ista subiungit. Lucius tamquā materia sibi crudelitatis oblata sæuior erga cęteros efficiebatur: & ita ibat in sāguinem, ut ne speciem quidem aliquam religionis seruare uidiretur. Cuius primo ingressu tanta & tam turpia in uirgines, & continentes Ecclesiæ gesta sunt, quæ nec in persecutionibus gentilium memorantur. Inde post fugas ciuium

& exi-

& exilia, post cædes & tormenta, flammasque quibus innumeros confecerat, ad monasteria furoris sui arma couertit. Vastat eremũ, & bella quiescen tibus indicit. Tria millia simul, aut eo amplius, uiros per totã eremum secretã, & solitaria habitatione dispersos, oppugnare pariter aggreditur; mittit armatam equitũ ac peditũ manum. Tribunos, præpositos, & bellorũ duces tanquam aduersus barbaros pugnaturos elegit. Qui cum uenissent, nouã belli speciem uident, hostes suos gladiis obiectare ceruices, & nihil aliud dicere, nisi, amice ad quid uenisti? Hæc Rufinus. Greg. Nazianz. in oratione contra Arianos, & de seipso alia quædam Arianorum facinora sub Ariano rege patrata his uerbis deplorat. Aræ dilectæ, quemadmodum diuinæ litteræ loquuntur, nũc uero per ignominiam contaminatę; quisnam impudicus adolescens turpiter cantillans, & corpus inflectens uobis insultauit? O uirginũ pudor, ac uerecũdia, quę ne modestorum quidẽ uirorum conspectum ferre potest, quis te affecit ignominia, etiam ad illas usque corporis partes, quas spectari nefas est, & impiorum oculis miserabile spectaculũ proposuit, igneque sodomitico uindicãdum? Mitto enĩ cædes hoc dedecore tolerabiliores. Quasnam feras in corpora sanctorum immisimus, quod quidem fecere, qui naturam humanam publicarunt, & prostituerunt, vno tantum obiecto crimine, quod Inpiateti non assentirentur. Quorum antistitum, presentibus aliis initiatis, &

præter lacrymas nihil opis adferre uolentibus, similes carnes unguibus laceratæ sunt? Cum Christo suspensæ? Patiendo uictoriam adeptæ? Sanguine pretioso populum aspergentes? Abductæ tandem ad necem? Cum Christo sepeliendæ, & gloria cum eodem afficiendæ? Quosnā seniores ignis & aqua, naturæ sibi inuicem aduersantes, itant noua inusitataque face supra mare sublata cum naui, qua soluerant, exusti sint? Hæc ille, qui postremis his uerbis subobscure significauit inaudi um genus supplicii, quo Valentis Imperatoris Ariani, præfecti, octoginta uenerabiles uiros, qui ab orthodoxis ad Imperatorem legati missi fuerant, in nauim inclusos mediis in fluctibus, admotis facibus concremarunt. Sed hæc omnia, quæ sunt hactenus commemorata, tolerabilia, ac leuia uideri poterunt, si cum iis conferantur, quæ ab regibus Vvandalorum Arianismi propagandi caussa gesta fuisse Victor Vticensis scribit. Libro primo, hæc de Genserico refert: Præcipere, inquit, nequaquam cunctatus est Vvandalis, ut Episcopos, atque laicos nobiles de suis ecclesiis, & sedibus nudos penitus effugarent. & infra. Maximam turbam clericorum nauibus fractis impositam nudos, atque expoliatos expelli præcepit. & infra. Sacerdotes, atque insignes uiri amissis iam Ecclesiis, & rebus occurrere nisi sunt supplicantes, ut ad consolandum populum Dei saltem habitandi facultas concederetur. Quibus ille per internuncium rabido ore respondit, Decreui ego de nomine,

ne,& genere ueſtro nullũ dimittere, & uos audetis talia poſtulare? Quos etiam uicino mari uoluit eadem hora demergere, niſi à ſuis diu ne hoc faceret, rogaretur, & infra. Terret præceptis feralibus, ut in medio Vvandolorum noſtri nullatenus reſpirarent, neque uſquã orandi, aut immolãdi cõcederetur gemẽtibus locus, & infra. Iubet famulos Dei, ligatis, pedibus poſt terga currendũ quadrigarũ inter ſpinoſa loca ſiluarum pariter inferire, ut ducta atq; reducta dumoſis lignorum aculeis innocentium corpora carperentur, ita deligati, ut exitum ſuum inuicem peruiderent, & infra. Quodam tempore Paſchalis ſolemnitas agebatur, & dum in quodam loco, qui regia uocitatur, ad diem Paſchalis honoris noſtri ſibimet clauſam Eccleſiam reſeraret, compererunt Ariani. Statim quidam presbyter eorum Audiet nomine, cõgregata ſecum armatorum manu ad expugnandã turbam accenditur Innocentium. Introeunt euaginatis ſpathis, arma corrupiũt, alii quoque tecta conſcendunt, & per feneſtras eccleſiæ ſagittas ſpargunt. Et tunc forte canente populo Dei, lector unus pulpito aſſiſtens alleluiaticum melos canebat, quo tempore ſagitta in gutture iaculatus, cadente de manibus codice mortuus poſt cecidit ipſe. Nam & alii quamplurimi ſagittis, & iaculis in medio crepidinis altaris probantur occiſi. Nam qui gladiis tunc interempti non ſunt, poſtea pœnis attriti, regio iuſſu, omnes pœnę necati ſunt, præſertim maturioris ætatis. Alibi tem-

pore quo sacramenta Dei populo porrigebantur, introeuntes maximo furore corpus Christi, & sanguinem pauimentis sparserunt, & illud pollutis pedibus calcauerunt. Initio autem libri secundi describit idem Victor primordia regni Hunerici, qui Genserico successerat, plane moderata, & mitia in catholicos, sed quia fieri non potest, ut spiritus Satanæ, quo hæretici pleni sunt, diu catholicam Christi Ecclesiam quietam esse patiatur, paulo post adiungit persequutionem Hunerici in catholicos multo grauiorem, quam unquam fuerit sub Cenferico. Quibus (inquit) prosequar fluminibus lacrymarum; quando Episcopos, presbyteros, diaconos & alia Ecclesiæ membra, idest quattuor millia octingentos sexaginta sex ad Eremum in exilium destinauit? Ac deinceps toto secundo, & tertio libro persequitur idem auctor supplicia inaudita, ac prope incredibilia, quibus in toto regno Vvandalorum catholici crudelissime afficiebantur. Hæc igitur, & non alia expectent, qui regem Caluinistam supra se constitui patientur; nisi forte spiritum Caluinistarum mitiorem esse credimus, quam olim fuerit Arianorum. Sed aliud clamant tragędiæ Anglicanæ, exsilia, carceres, patibula: & strages illæ horribiles, quæ anno 1562. Caluinistæ in multis Galliæ partibus: & anno 1572. in Belgio ediderunt. Quis nescit quot sacra templa, quot monasteria, quot pagos, quot oppida spoliauerint, ac diripuerint Caluinistæ? Quot in locis altaria euerterint,

sacra-

ſacra vaſa profanauerint,imagines Chriſti, & ſanctorum confregerint;reliquias effoderint, exuſſerint,in flumina,uel cloacas abiecerint? Quam ſæpe corpus ipſum, & ſanguinem Dominicum ad terram ſparſerint, pedibus conculcauerint, canibus obiecerint, globulis tormentariis petierint? Quid uerò de cædibus horrendis, & immaniſſimis dicam? Nonne infantes, ut olim Ariani, medios diuiſerunt? Nonne ſacerdotum multos excoriauerunt? Nonne eorum capita uno ictu in duas partes ſecuerunt? Nonne auriculas Eccleſiaſticorum pro torquibus, & monilibus geſtauerunt? Nonne quibuſdam uiuentibus, & uidētibus uiſcera lēto tractu explicauerunt? Nonne plurimos ad ſtipitē alligatos ictibus bombardarum animi gratia petiuerunt? Nōne multos in altiſſimos puteos, aut alibi in profundiſſimas ualles præcipites egerunt?Nonne aliquos etiam uiuos ſepelierunt?Nōne ſacerdotem quendam in prima Genomanorū ciuitate amputatam ſui corporis partem pudendam uorare coegerunt,ac paulo poſt,adhuc uiuenti,& ſpiranti,uentrem aperuerunt,quod ſe cognoſcere uelle dicerent, num concoqueret eduliū huiuſmodi ſtomachus humanus? Nonne prope Aureliano cum ingenui aliquot pueri, in turri cuiuſdam Eccleſiæ metu Caluiniſtarum latitarent, immaniſſimæ illę feræ ſimul eos cum Eccleſia concremarunt, & aliquos fuga per feneſtram elapſos, iterum in incendium, miſerando ſpectaculo reiecerunt? Nonne iſta omnia, & alia mul-

o plura adhuc hodie viuos & oculatos testes habent? Nonne omnem crudelitatem tyrannorũ, barbarorũ, immanium ferarum, atque ipsorũ prope dixerim, infernalium dæmonum superant? Quod si talia sub minorib. principibus, & qui metu aliquo regis tenebãtur, Caluinistæ egerunt; quid, quę so, facerent, si principem supremum, Regemque potentissimum suæ sectæ hominem viderent? Et si tanta cæde bacchati sunt in catholicos, cum stragem ab eis nullam accepissent; quando catholicorum sanguine saturari possent, cum eis ad mentem S. Bartholomęi dies rediret? Viderint igitur, ad quos pertinet, & uicinę Anglię ęrumnis, & calamitatibus eruditi diligenter perpendat, num e re sua futurum sit, si Hæreticum, & Hæreticum Caluinistam in regem accipiant.

CAP. XXXI.

SED alia quoque caussa est, cur sub Hæretico Principe religio catholica salua esse nõ possit. Nam si qui forte reliqui sint, quos neq; regis exemplũ ad hæresim pertrahat, neque vis vlla inimicorũ fidei exsulare cogat; tamẽ ii, quos perpaucos fore necesse est sponte sua patriam deserunt, & exsiliũ voluntarium eligunt, tum vt Ecclesiæ legibus pareant, quæ vitandos hæreticos monet, tum ne patriæ suæ miserias coram adspiciant, tum demum ne cum periculo animæ suæ cum Dei hostibus conuersentur. Audiunt Paulum admonentem, hæreticum hominem deuitandum, audiunt Ioãnem

nem

nem præcipientem, Eos, qui tales sunt, neque in domum admittendos, neque aue illis esse dicendum; audiunt Leonem Apostolico spiritu, & auctoritate præditum ita cócionantem: Viperea hæreticorũ vitate colloquia. Nihil vobis commune sit cum eis., qui catholicæ aduersantes fidei, solo *Serm.* sunt nomine Christiani, Audiút & Cyprianum *18. de* prædicantem. Declinent autẽ fortiter, & euitent di *passio.* lectissimi fratres nostri verba & colloquia eorum, *dom.* quorum sermo, vt cancer serpit. Et item, Nulla *lib. 1.* cum talibus commercia copulentur, nulla con *epist. 3* uiuia, vel colloquia misceantur, simulq; ab eis *prope* tam separati, quam sunt illi de Ecclesia profugi. Et *finem.* rursus. Nulla societas fidei, & perfidei potest esse, qui cum Christo non est, qui aduersarius Christi est, qui vnitatis & pacis inimicus est, nobiscũ non potest cohærere. Audiunt magnum Antonium, insignem illam Ecclesiæ Dei columnam numquã hæreticis amicabilia verba dixisse, discipulis verò *Atha* etiam præcipere solitum, ne prope quidem hæ- *nasius* reticos accedendũ; nó secus, ac prope eos accedere *in vi-* formidamus, qui peste laborant. Est enim hæresis *ta san* pestis in primis perniciosa, adhæret verbis, adhæ *cti An* ret libris, solo colloquio inspiratur. illi igitur cum *tonii.* hæc omnia probe intelligant, & ueram fidem, donum dei maximum, thesaurum singularem, & omnium bonorum fontem, originem, fundamentum esse non dubitent: malunt patria carere, quam fide; & patrimonio terreno spoliari, quam à regno cælorum excludi. Et sane

quo animo veri Ecclesiæ catholicæ filii illum ut regem obseruarēt & colerent, quem, in domū recipere Chrrsto per Apostolū suum prohibente, non possent? Qua voce faustis acclamationibus regem illum prosequerentur, quē etiam occurentem in via simpliciter salutare Apostolus nō permittit? Quo tōscientiæ testimonio sacramentum fidelitatis illi præstarent, quem Deo rebellem, ab Ecclesia profugum, Christianæ militiæ desertorem esse non dubitant? Quibus oculis inaugurationem atque inuctionem eius regis adipiscerent, quē sciunt omnes eiusmodi ritus ac cęrimonias irridere, & iuramentum sollemne de Ecclesia catholica defendenda, aut non suscepturum, aut non seruaturum? quando enim ex animo Caluinista iuraret, se catholicā Romanamq; Ecclesiam totis viribus propungnanturum, quam euersam uidere cupit, ac semper totis uiribus oppugnauit? Nihil igitur mirum est, si diutius sub Hæretico rege catholica religio conseruari non potest, cum omnes catholici aut ad hæresim transeant, ut regis gratiam ineant; aut ab rege eodem exsilio, carcere, morte multentur; aut patriam ipsi cum exsilio sponte commutent.

Summa totius disputationis.

CAP. XXXII

Placuit ad extremum disputationis totius summam ad tres syllogismos reuocare, ut omnes intelligant, exclusionem Henrici Nauarreni

reni à iure ſucceſſionis in Regnum Frãcorum certiſſimis,atque adeò inſolubilibus demonſtrationibus eſſe concuſam.

Primus ſyllogiſmus.

Hugonotti, omnes hęretici ſunt:
Henricus Nauarrenus Hugonottus eſt:
Henricus igitur Nauarrenus hæreticus eſt.

Secundus.

b Henricus Nauarrenus hæreticus eſt;
a Hæretici omnes iure ſucceſſionis ad regna per Apoſtolicam ſedem legitime priuantur;
Henricus igitur Nauarrenus iure ſucceſſionis quod ad regnum Francorum prætendebat,per ſedem Apoſtolicam legitime priuatus eſt.

Tertius.

b Hẽricus Nauarrenus legitimè ut hæreticus per ſedem Apoſtolicam priuatus eſt iure ſucceſſionis,quod ad Regnum Francię pręrendebat;
a Qui hęreticos per Apoſtolicam ſedem iudicatos,& iure ſucceſſionis ad regna priuatos aſſumunt ad regnum,ii omnes religionis, & regni parum ſtudinſos,ne dicam proditores, ſe probant;
c Henricus igitur Nauarrenus aſſumi non poteſt ad

ad regnum,niſi forte ab iis,qui religionis & regni parum ſtudioſi,ne dicam proditores;uolũt haberi.

Propoſitio primi ſyllogiſmi demonſtrata eſt certiſſimis argumentis in tota ſecunda parte noſtræ diſputationis. Aſſumptio eiuſdem ſyllogiſmi conceditur ab aduerſariis, quippe quam Henricus ipſe uerbis & factis approbat.

Aſſumptio ſecundi ſyllogiſmi,concluſio eſt ſyllogiſmi ſuperioris, proinde noua probatione nõ eget.Propoſitio eiuſdem ſyllogiſmi,ſatis probata eſt in tota tertia parte noſtrę diſputationis.

Aſſumptio tertii ſyllogiſmi, concluſio cum ſit ſyllogiſmi ſecundi, probationem aliam non requirit.

Probatio eiuſdem ſyllogiſmi in tota quarta noſtrę diſputationis parte comprobata eſt.

Finis. DEO Laus.